





HISTORIA

MARTYRUM CARTUSIANORUM ANGLORUM

IMPRIMI POTEST.

FR. ANSELMUS-MARIA, Prior Cartusiæ.
Kalend. Maij M. DCCC. LXXXVIII.

IMPRIMATUR.

† DESIDERATUS-JOSEPH, Episc. Atrebat.,
Atrebat., IV. Non. Maij M. DCCC. LXXXVIII.
In Festo BB. Martyrum Cartusianorum.



CARTUSIANI SUMMI PONTIFICIS JURA ABNEGARE CONSTANTER RECUSANTES

VARIIS ADDICUNTUR SUPPLICIIS.

N. Mignard delineavit circa 1660.

In Avenionensi Musæo asservatur.

HISTORIA

ALIQUOT MARTYRUM ANGLORUM

MAXIME OCTODECIM

CARTUSIANORUM

SUB REGE HENRICO OCTAVO

OB FIDEI CONFESSIONEM ET SUMMI PONTIFICIS JURA VINDICANDA

INTEREMPTORUM

A

V. PATRE DOMNO MAURITIO CHAUNCY

LONDINIENSIS CARTUSIÆ PROFESSO

CONSCRIPTA

NUNC AD EXEMPLAR PRIMÆ EDITIONIS MOGUNTINÆ ANNO 1550 EXCUSÆ
A MONACHIS CARTUSIÆ S. HUGONIS IN ANGLIA DENUO EDITA



MONSTROLII

TYPIS CARTUSIÆ S. MARIÆ DE PRATIS

M. DCCC. LXXXVIII

LONDINI, APUD BURNS ET OATES BIBLIOPOLAS

SANCTO . BRVNONI

ORDINIS . CARTVSIENSIS

FVNDATORI

HOC . OPVS

IN . HONOREM . DECEM . ET . OCTO . FILIORVM

PRO . CATHOLICA . FIDE

IN . ANGLIA . INTEREMPTORVM


A . D . MDL . PRIMVM . TVPIS . MANDATVM

RVRSVS . PRAELO . SVBIECTVM

NOVI . EDITORES

D . D . D .


De cœlo prospiciant et preces ad Deum fundere non cessent, cum sanctus Pater noster, tum Fratres nostri Martyres, nec non et sanctus Hugo almæ nostræ Domus patronus, ut pusillus grex cui incumbit gloriosa cura Cartusianæ observantiæ in hac regione renovandæ, numero crescat et merito.



CONSPECTUS CARTUSIÆ SALUTATIONIS BEATÆ MARIÆ PROPE LONDONIAS

SANCTA Mater Ecclesia Catholica, cujus ut aquilæ renovatur juventus, non cessat, omnis sanctitatis utpote fons et origo, divino afflante Spiritu, parere Sanctos. Ex quo enim illam sibi gloriosam sponsam exhibuit Christus, illos qui eximiis virtutibus ac meritis excelluerint, Mater justo et publico cultu ornare perpetuo curavit. Cujus inexhaustæ fecunditatis testem habemus illam turbam magnam quam, ait propheta, dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis.

Triumphanti illi multitudini adjuncta est hu-



PROSPECTUS CARTUSIÆ SALUTATIONIS BEATÆ MARIÆ PROPE LONDONIAS

ANCTA Mater Ecclesia Catholica, cujus ut aquilæ renovatur juventus, non cessat, omnis sanctitatis utpote fons et origo, divino afflante Spiritu, parere Sanctos. Ex quo enim illam sibi gloriosam sponsam exhibuit Christus, filios qui eximiis virtutibus ac meritis excelluerint, Mater justo et publico cultu ornare perpetuo curavit. Cujus inexhaustæ fecunditatis testem habemus illam turbam magnam quam, ait propheta, dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis.

Triumphanti illi multitudini adjuncta est for-

tissima cohors ex Anglis cooptata, quæ ab anno 1535 ad annum usque 1583, ob invictam fidei confessionem ac jura Romani Pontificis vindicanda, sanguinem libenti animo et hilari vultu profudit.

Horum tamen propter testimonium Dei interemptorum Martyrum causa ante nostra tempora vix cœpta est agitari; nihil enim profecisse videbantur vota quæ, anno 1860, Reverendissimi Angliæ Episcopi Sedi Apostolicæ obtulerunt ut in illorum honorem, qui tam fortiter decertarunt, festum institueretur. Novis autem rogationibus benigne annuit S. D. N. Leo XIII, Pontifex Maximus, et die 9 decembris, anno superiore, firmavit Decretum quod Romæ prodiit ejusdem mensis die 29, Thomæ scilicet Cantuariensi episcopo et martyri sacra, cujus fidem et constantiam Viri illi gloriosi æmulati sunt.

Mirum non est hoc Decreto Pontificis magnum animorum ubique Ecclesiæ motum extitisse, majorem vero in illa regione cui tantum decus addebatur. Etenim, statim atque tam felicis eventus fama Britanniam pervasit, præ gaudio exultaverunt omnes Catholici, quibus jamdudum

in votis erat ut corona et cultu publico augerentur fortissimi athletæ qui mori maluerunt quam fœdari. Ipsi quoque acatholici, novum atque inexpectatum nuntium mirati, attentas aures Pontificis oraculo præbuerunt, ac per ecclesias passim effusi, tum catholicas cærimonias spectare, tum martyrum laudes audire studuerunt.

Ex his facile intelligas longe a nobis esse illa sæcula, quibus potentes reges in subditos, qui fideliter asseverabant Romæ esse religionis caput, atrocibus pœnis sæviebant; adeo sunt tempora moribus et sententiis mutata! Quamvis enim etiamnum, uti conjicere licet, diu exspectanda sit dies qua gens Anglica et Angliæ subjectorum immensa prope multitudo se recepturæ sint intra septa Ecclesiæ, tamen fratres nostri separati, erroribus veteribusque odiis paulatim evanescentibus, Romani Pontificis auctoritatem ac jura veneratione summa hodie prosequuntur. Rem ita esse, vel ex iis quæ quaque die apud Anglos eveniunt, facile innotescit.

Occurrente enim duplici Jubilæo, Papæ scili-

cet et Victoriæ reginæ, hinc inde munera collata sunt, non sine humanis amicisque litteris. Imo vero, elapsis vix paucis mensibus, patuit aula regia Nuntio Leonis XIII. Illum quasi præcipuo studio cohonestaverunt Angliæ Proceres; in illum oculi omnium cum reverentia conversi. Præ admiratione populus obstupuit. Omnibus enim stupendum videbatur, ab illa Regina quæ se Anglicanæ ecclesiæ caput et moderatricem asserit, tam comiter tamque splendide excipi vicarium hujus Pontificis qui, eodem tempore, ad honores altaris ferebat illos ecclesiasticæ libertatis testes invictos, ac civilis in res sacras auctoritatis infensissimos hostes!

Non tamen erat contra omnium exspectationem hujus rei eventus. Dum enim vetus hæresis ipsa vetustate ruit, dum numerus crescit quotidie sectarum quæ magis ac magis in diversa ac contraria abeunt, atque pene ad nihilum redactæ sunt, Ecclesia Catholica se ostendit semper unam atque eamdem, tantaque viget juventute nec non et fecunditate, ut vel eorum qui ejus auctorita-

tem vimque divinam agnoscere recusant, admirationem extorqueat.

Ideone instare dicendum est illam summis votis exoptatam et a multis prænuntiatam Angliæ conversionem? Multum abest, proh dolor! ut tota gens ad avitam fidem redeat. Infitias tamen ire nemo potest plurimorum animos affectusque in melius fuisse mutatos. Testes appellare licet quos de tenebris transtulit Deus in admirabile lumen suum. Quantis vero pressi fuerint angoribus antequam veritatem agnoverint ac professi sint, ex ipsis audire licet; dum ceteri, qui ab errore nondum recesserunt, plerumque nesciunt quid sentiant, quid credant, cum implicati negotiis sæcularibus et domesticis curis abrepti, luctuosa veritatis inopia torpescunt.

Verum, ne commenta finxisse videamur, vix credere est quanto afficiantur animi motu illi « dissidentes », imo vel ipsi religionis legalis ministri, quum monasterium nostrum subeunt. Quid est cur plurimi turbentur et trepident? Quos enim sui, ut censent, pusilli animi puderet, si noti et ejusdem sectæ fautores adstarent, eos videas et lacrymis indulgere et humilis monachi

preces simul ac benedictionem, genibus flexis, efflagitare.

Quid tandem? Nonne dexteram Excelsi latenter operari arbitremur? A Domino factum est istud, sanctorum intercessione Martyrum qui stantes ante thronum Dei et in conspectu Agni, et palmæ in manibus eorum, clamant voce magna dicentes : Parce, Domine, parce populo tuo, et diutius ne des hæreditatem tuam in opprobrium. Sic vindicabis, Domine, sanguinem Sanctorum tuorum qui effusus est super terram.

Purpuratæ illorum catervæ, quæ nunc ut in cœlis sic in Ecclesia lucet, nihil magis cordi esse censemus quam ut ea gens e qua prodiit, a deviis rediens pascuis, in jus et potestatem subeat supremi Pastoris, cui soli dictum est : Pasce agnos meos, pasce oves meas. Quod ut feliciter eveniat si nostri Beati nunquam Deum deprecari cessaverunt, quanto magis nunc efficacibus precibus instabunt, cum cœlitum honoribus ornati, ipsi apud Deum deferent orationes quas perpetuo fundent tum Angliæ laici fideles, tum illæ religiosæ utriusque sexus familiæ, quæ hospitio Anglorum tam liberali fruen-

tes, suum esse existimant pro beneficiis quotidie acceptis gratias quotidianas rependere.

Sed quandonam et quo facto ea quæ speramus eventura sint, solus scit Deus. Ex rebus tamen anteactis aliquid conjectura augurari licet. Si enim Anglia, illa Sanctorum, et, ut olim appellata est, quasi in dotem Deiparæ Virginis constituta insula, Regis exemplo ac imperio ab observantia et obsequio in Romanam Sedem schismate avulsa est, surgat nunc Rex populo gratus, cui cordi sit religiosas discordias restinguere et res ad pristinum statum restituere, ille subjectam sibi plebem reducet ad verum ovile, modo aperte et toto corde profiteatur : Credo in Unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam.

Quæ fausta faciat Deus ut tandem eveniant in suum et suorum honorem !

Nulli unquam labori pepercerunt Angli catholici ut erga Martyres devotionis monumenta relinquerent. Vix enim mortem pro Sedis Apostolicæ auctoritate tuenda et orthodoxæ fidei

asseveranda veritate oppetierant illi viri fortes, cum in eorum honorem ut quid efficeretur exactum perfectumque, annuente Gregorio XIII, P. M., probatissimi artifices inter se decertarunt.

Nec satis habuerunt sculptis aut pictis imaginibus, quæ os habent et non loquuntur, tantos viros celebrare; scripta enim magis animos penetrare et altius mentibus infigi existimaverunt, et ideo nullus fuit coævus historiarum scriptor qui cohortis invictæ laudes et certamina non extulerit.

Primus locus dandus est libello cui titulus : *Historia aliquot nostri sæculi Martyrum*. Ibi agitur de passione octodecim Cartusianorum, qui inter ceteros innocentissimi habentur. Illos enim, nullo alio nomine passos esse quam in odium catholicæ fidei veritatis in aperto est, quippe qui, vere eremitæ, a rebus politicis prorsus abstineant. Unde tam nefarie mactatos Angli omnes, si paucos excipias scelestissimos, defleverunt.

Unus autem e monachis, cui prærepta fuit martyrii corona, Mauritius Chauncy nomine,

omnem eventus seriem ordine digessit et scripto mandavit; quasi a Deo provisum « superesse aliquem fidei probatæ testem qui sanctum hoc avitæ fidei prælium quod patres nostri ad finem usque præliarunt, litterarum monumentis ad posteros transmitteret. » Nisi enim res visu et auditu perceptas unus ille testis publici juris fecisset, omnia tandem oblivione pene deleri necesse fuisset.

Commentariolum assidua manu verterunt lectores, certatim historici transcripserunt. Etsi libellus ille ipse raro inveniatur, omnibus prope exemplaribus trium sæculorum spatio consumptis, non tamen in oblivione jacet, quum per partes illum in suis concionibus transtulerint oratores, tum veteres tum præsertim recentiores, qui, post cultus confirmationem, Martyrum laudes celebrarunt.

Verumtamen opus ipsum, licet sæpius typis mandatum et longe lateque olim diffusum, hodie vix inveniri potest, aut si inventum fuerit, vix auro comparatur. Cartusianis ergo visum est illud rursus prælo submittere, mendis expurgatum, notisque ornatum quæ pietati simul et

eruditioni consulant. Nostrum hoc erit in præsens tempus monumentum ad honorem fortium qui per fidem vicerunt regna et adepti sunt repromissiones in Christo Jesu.

F. VICTOR MARIA DOREAU,
Prior Cartusiæ sancti Hugonis in Anglia.

Die 29 Decembris 1887
in anniversario promulgationis Decreti Pontificalis.





PRÆFATIO

NOVÆ HUJUS EDITIONIS

I.

De Vita et Scriptis D. Mauritii Chauncy.

CIRCITER annum Reparatæ Salutis 1513, in comitatu Hertford natus est, non ignobili genere [1], Mauritius Chauncy [2]. Oxonii litteras, Londinii in *Gray's Inn* leges didicit. Vix annos viginti natus, Cartusianæ militiæ nomen dedit in Londi- Fit Cartusianus.

[1] Inter milites qui cum Guillelmo Normannorum duce in Angliam invaserunt, numerabatur familiæ Chauncy progenitor, qui ob eximiam virtutem magna largitione donatus fuit. Hujus posteri continua serie descripti inveniuntur apud Henricum Chauncy, *Historical Antiquities of Hertfordshire,* Londinii, 1700, in-fol., p. 60.

[2] Alias *Chancy, Chauncey, Chancey ;* prave *Channey, Canney, etc.* Latine, ipse *Chancæi* nomen usurpat, in præfatione ad editionem Sutoris (de qua infra p. XXVII.)

niensi Domo [1], cui præerat Joannes Houghton, Martyrum antesignanus et exemplar a divina Providentia destinatus. Quamvis de die quo religiosam vestem induit non constet, illum « Professum non sacerdotem » fuisse anno 1534, mense Junio, ex tabulis publicis in Archivo Status [2] asservatis certo novimus.

Spe falsa deceptus, in verba Regis jurat;

Persecutionis tempore, pro virili parte decertavit, peremptoque venerabili Priore, vel exemplo ceteris fuit. Ad extremum tamen, a monachis Monasterii Sion [3] deceptus, Domum servare cupiens ac sperans, sex fere mensibus postquam juraverant fratres sui, et ipse in verba Regis juravit. Sed hæc ei in suo libello fusius exponenda relinquimus.

Quod usque ad mortem amare deflevit.

Sui eum erroris ita pœnituit ut conceptum dolorem nihil potuerit lenire, et lacrymas usque in diem obitus effuderit. « Ego, aiebat, prodii ex istis, sed non eram ex illis. Nam si fuissem ex illis, permansissem utique cum illis bibiturus calicem quem et illi biberunt. Ego Saul inter Prophetas, ego filius Ephrem intendens et mittens arcum, conversus in die belli; abii retrorsum in non custodiendo quæ apud me reposita erant. »

1. Hæc Domus, Annuntiationi B. V. Mariæ dedicata, ab equite Gualterio de Manny et Michaele de Northburgh, episcopo Londiniensi, fundata fuit, et anno 1370 Ordini nostro adscripta. Dugdale, *Monasticon Anglicanum,* ed. Ellis, tom. VI, p. 6-11. — Tromby, *Storia.... del Patriarcha S. Brunone e del suo Ordine Cartusiano,* tom. X, p. 88. — Wood, *Ecclesiastical Antiquities of London and its suburbs,* 1874, in-8°, p. 30 et s. — R. P. Morris, S. J. *Troubles of our Catholic Forefathers,* 1ª serie, p. 3-26.

2 *Public Record Office,* Londinii. (Rymeri *Fædera,* tom. XIV, p. 491.)

3 Primitus ab Henrico V, anno 1415, conditum fuit ad pagum Twickenham; postea translatum, an. 1432, inter Brentford et Isleworth. Dugdale, *Mon. Angl.,* VI, p. 540. — Wood, *op. cit.,* p. 290 in fine et 291. — Cartusia nostra dicta *Sheen* ex adverso erat, in altera Tamesis ripa. Tromby, *op. cit.,* X, p. 365, nota 2.

Mauritio tamen diu flere in sua eremo non licuit, nam « infra annum », Monachi e Domo ejecti sunt, 15 die Novembris, A. D. 1538 [1].

Tunc « recto itinere [2] », cum vitæ, ut apparet, discrimine [3], Belgium petiit et in cartusiam Vallis Gratiæ [4] non longe a Brugis sitam concessit, ubi benigno usus hospitio, vota iterum, pro hujus temporis consuetudine, emisit, et inter Anglos monachos eminuit, qui subinde huc advenerunt. **Belgium petit.**

Post annos sedecim, regnante Catholica Maria, jussu Capituli Generalis in patriam reversus est una cum duobus e fratribus suis, an. 1555, mense Junio [5]. Ibique, consen-

[1] Non vero 1539, quod legimus in prima editione. Id liquet his verbis capituli XIII, p. 119 : « Infra annum postquam nos consenseramus. » Consenserunt autem circa finem anni 1537. « Infra annum, ait Havensius, scilicet 15 die novembris an. 1538. » (Append. 3ª ad *Historicam relationem XII Martyrum Cartusianorum Ruræmundæ,* Coloniæ, 1608, in-4°, p. 71.) — Item in Epilogo (p. 126 infra) dicitur : « Th. Cromwell, Vicarius Regis, infra biennium a nostræ profligationis tempore, capite mulctatus est ; » quod auctores omnes mense julio an. 1540 evenisse testantur. — Præterea D. Jacobus Long, Prior Domus Neoporti, in Cod. Ms. an. 1739, Brugis servato, cui inscribitur *Notitia Cartusianorum Anglorum,* asserit, cap. X, not. f, se habere in manibus optimum exemplar manuscriptum in quo reperitur 1538, dum typis excusæ editiones mendose exhibent 1539. — Denique in Cod. Ms. nuper in Analectis Bollandianis publicato (tom. VI, fasc. 1, 1887) legitur : « A. D. millesimo quingentesimo trigesimo octavo », p. 50, lin. 32. — Cf. p. XXIV infra, not. 1. — Notandum est primam editionem ab ipso auctore non fuisse correctam. (Vide not. 1 paginæ 33, ad calcem hujus nostræ editionis.)

[2] Cap. VIII, p. 85 *in fine.*

[3] Antiqua lege cautum erat ne quis sine Regis licentia peregre proficisceretur. (Stephen, *Commentaries on the laws of England,* tom. II, 9ª ed., p. 506.) Monachus ergo qui, spreta lege, fugam capessebat cum evidenti proposito se recipiendi in terras Catholico Regi subjectas, perduellionis reus fieri periclitabatur. Quod significare videtur Noster, optando ut fratres sui « libere transeant hoc mare... sine periculo mortis. » Cap. VIII. p. 86.

[4] Fundata est an. 1318, et ab imperatore Josepho II an. 1783 abolita.

[5] *Notices of the English colleges and convents established on the continent after the dissolution of religious houses in England ;* 1849, auctore Hon. Eduardo Petre.

Prior instituitur novæ Domus in Sheen.

tiente eadem Regina necnon et Cardinale Pole, reduces Cartusiani, cum multis qui in Anglia remanserant, se contulerunt in Domum Sheen [1], et sub Priore Mauritio Chauncy monasticam observantiam instauraverunt. Non autem longum otium illis concessum; iterum enim in exsilium pulsi, regressi sunt in Belgium, et pro recentis hospitii jure in Domum Brugensem recesserunt.

Rursus in exsilium pulsus.

Regularis disciplinæ et piæ conversationis quam in Domo Londiniensi noverat memor, Beatique Joannis Houghton æmulator, ita se gessit Mauritius ut, biennio post, a Capitulo Generali, assentientibus omnibus, Vallis Gratiæ Prior renuntiatus fuerit. Quum vero cresceret numerus monachorum, potestas illi facta est eligendi locum ubi cum concivibus suis vitam seorsum ageret. Domum igitur in urbe comparavit, cui *Sheen Anglorum* nomen imposuit.

Adspirante Dei gratia, Religiosi perfectam vivendi rationem a tanto magistro edocti, invaluerunt fide omnibusque virtutibus, ad omnes fortunæ vicissitudines sese parantes; tanta erat temporum iniquitas! Haud fefellit sanctos homines eventus; nam, anno 1578, eo audaciæ proruperunt hæretici, ut vastata regione, monasteria funditus everterint. Vi expulsi D. Mauritius et socii confugerunt in Galliam, egentes, angustiati, quo se reciperent quærentes nec invenientes. Lovanii [2] tandem constiterunt [3] in summa omnium rerum inopia.

Varia patitur ab hæreticis.

Tum bonus Prior in Hispaniam contendit Regem implo-

[1] Hæc Domus fundata fuerat ab Henrico V, anno 1415.
[2] Cartusia Lovaniensis an. 1491 fundata fuit, et an. 1783 sublata.
[3] Dodd, *Church History of England*, II, p. 156. (Ed. Tierney, 1839. Londinii.)

raturus ut tantæ egestati opem ferret; quod cum impetrasset, viam confestim repetiit. Sed in itinere morbo correptus, in cartusiam Parisiensem [1] divertere coactus est. Ibi, non multo post, e vita pie migravit, die 12 Julii anni 1581 [2]. Cum corpus de more curabatur, inventa est carni adhærens ferrea catena, diuturnæ pœnitentiæ instrumentum simul et testis [3]. **Pie moritur.**

Quo autem pacto ad libellum conficiendum D. Mauritius fuerit inductus, nunc paucis dicendum. Ubi primum in Belgium advenit, a Priore Vallis Gratiæ et monachis omnibus impense rogatus est ut Martyrum nostrorum historiam scripto exponeret [4]. Præterea illi incumbebat necessitas scribendi Reverendo Patri, Ordinis Ministro Generali [5], ad licentiam permanendi in cartusia Brugensi obtinendam [6]. Denique ipsi jam antea in animo fuerat brevem saltem factorum narrationem Majoris Cartusiæ Priori mittere; sed in Anglia insidias reformidans, manum operi admovere distulerat. Quum vero assidue mente volveret quæ ipse viderat et quæ a suis fratribus narrata audierat, et omnia memoriter apprime teneret, ereptus de laqueo venantium (ut ejus verbis utamur), et constitutus super excelsam ter-

Acta Martyrum Cartusianorum scripsit.

[1] Fundata est a sancto Ludovico, anno 1257.

[2] Ex Charta Capituli Generalis an. 1582. — Ista omnia narrat D. Jacobus Long in Cod. Ms. supra citato, hæc addens : « 68 annos natus erat, et Prior fuerat 24 annis. » (Cap. XII, in fine.)

[3] *Ephemerid. Mss. Ordinis Cartusiensis,* auctore D. Le Vasseur.

[4] « Patris Prioris et devoti conventus importuna interpellatione hoc scribendi onus assumpsi. » Cap. XIV, p. 125. « Onus » scribendi se assumpsisse dicit, quia non jam litteras ad Rev. Patrem sed librum scribere compellebatur.

[5] D. Joanni Gaillard qui, post clarum Bibaucium, quinque annis Ordinem rexit. Obiit autem 27 die junii an. 1540, (ex Charta Capituli Generalis an. 1541.)

[6] Cap. XIV, p. 125, lin. 1 et 2.

ram, semotusque a timore nocturno, tum de B. Joanne Houghton, tum de filiis et modo vivendi in Londiniensi Conventu luculentius aliquid recensere studuit [1], ut in patre simul et filiis laudaretur et glorificaretur Deus. Nam « sufficiet mihi..., inquit, si ex hoc quod egero, gloria in excelsis ab angelis Altissimo resonet, et in terra istis Sanctis veneratio ab hominibus bonæ voluntatis impendatur [2]. »

His præmissis, rerum narrationem aggreditur, pœnitentiæ significationibus plenam. Monachi nomine indignus sum, aiebat, et hoc ipsi solum placere videtur quod occasionem nanciscatur propriæ ignaviæ publicandæ et deflendæ. Ejus ergo librum ad rerum fidem, minime vero ad laudem auctoris, scriptum esse manifestum est.

Sermo pietate ac sinceritate refertus sed parum agrestis.

Sermo, locis sacræ Scripturæ uberrimus, a capite ad calcem sinceram pietatem redolet, et re simul ac modo narrandi nos refert ad veteres primævæ Ecclesiæ martyres. Non culta neque polita, ut ipse fatetur, oratio est, imo interdum videtur subobscura et agrestis; verum si quis prima rerum asperitate a lectione non deterreatur, ille, ubi auctoris quasi intimos sensus perspexerit, fructum, confidimus, atque voluptatem ex integro volumine percurrendo capiet. Etenim si non semper delectu verborum eminet narratio, at sententiarum logica serie semper conspicua est. Quinetiam, non indiserte in Præfatione eum fuisse locutum, diceres. Nihil scripsit elegantius quam illa quibus se nescire loqui asserit : « More annorum meorum *, qui puer sum ætate,

** 26 annum agebat.*

[1] Ipse se scripsisse anno 1539 his verbis declarat : « non deerat certamen nobis, ne una quidem hora, per quatuor continuos annos *præteritos*. » Cap. XI, p. 109, lin. 4 et 5. Qui quum certo sint : an. 1535 quo B. Joannes Houghton occisus est, anni 1536, 1537, et 1538 quo clausa est Domus Londiniensis, necesse est ut anno 1539 libellum composuerit.

[2] Ex Præfatione passim.

nesciens loqui, in amœno... prato constitutus, hinc inde per diversa discurrens loca, flores pulchriores colligam ex quibus sertum mihi componam, et utinam ad internum animæ meæ ornatum, per redolentem imitationem sanctorum Patrum meorum id fecerim. » Quam vero mature et quasi cum senili judicio scriptum illud Caput IV *De sancto et discreto regimine Prioris*. Non profecto mirandum si ille vir, qui, juvenis admodum, tam sapienter explicuit Prioris officia, ipse postea Prior eximius evaserit, ac religionem Cartusianam ita concivibus suis exsulibus in Belgio firmaverit, ut per duo sæcula post mortem ejus, Mechliniæ primum, deinde Neoporti, floruerit Regularis observantia. Cap. III, in fine.

At occurrendum videtur cuidam dubitationi qua lectoris mens fortasse anceps remaneret. Nam ex superius allatis constat D. Mauritium hoc opus brevi tempore confecisse et perferendum curasse ad Reverendum Patrem D. Joannem [1]; certum est aliunde illum venerandum Joannem Junio mense anni 1540 obiisse. Quonam igitur modo fieri potest ut in libro Mauritii referantur quædam evidenter recentiora, videlicet Thomæ Cromwell supplicium Julio mense 1540 habitum, martyrium B. Guillelmi Horn ejusdem anni mense Augusto, quin et donatio Londiniensis monasterii Eduardo North facta anno 1544? Quo tempore scripsit.

Vel leviter reputanti difficultatem occurret responsum: Domnum scilicet Mauritium narrationi celeriter expeditæ, postea nonnulla, pro tempore, addidisse. Ceterum, præter

[1] Adde quod nisi intra exiguum tempus libellum confecisset, et cito eum ad Rev. Patrem misisset, non esset ausus in Præfatione dicere : « *Nullus* ex cognatione nostra de eorum (Martyrum) obitu vobis *quidquam significavit*. »

illa tria quæ diximus, nihil additum, nihil mutatum vel amplificatum certo scimus. Imo ultimam operi manum nunquam auctorem admovisse testantur sermonis maculæ quas facile erat expungere [1]; sed vir ille pœnitentiæ deditus, vel in stylo requirere munditias, parum monacho congruere reputavit.

Varia Chauncy opera.

Cum Passione XVIII Cartusianorum, typis excusa sunt quatuor opuscula quæ Mauritio Chauncy ab auctoribus assignantur [2] :

1. *De captivitate et martyrio D. Joannis* Fisher, *episcopi Roffensis, propter secundas nuptias Regis et constitutionem schismaticam.*

Latine composita.

2. *De D. Thomæ* More *captivitate, bonorum confiscatione, et ultimo supplicio propter confessionem veritatis.*

3. *De D.* Reynolds *Theologi martyrio, responsis, et sententia mortis propter fidem Ecclesiæ.*

[1] Adhuc evidentius est a nullo alio stylum fuisse expurgatum, nisi ab Havensio (de quo p. XXIX) ann. 1608. Id aperte declarat Simon Weisser in Præfatione editionis Wirceburgensis, p. 5ª circa finem ubi, de 1ª editione loquens, his verbis utitur : Historia « ut *ab auctore ipso* scripta est. »

[2] Simon Weisser loc. cit.; — Petreius, *Bibliotheca Cartusiana*, Coloniæ, 1609, in-12, p. 240 et seq.; — Morotius, *Theatrum Chronologicum Sacri Cartusiensis Ordinis*, Taurini, 1681, in-fol., p. 130; — Henricus Chauncy, op. cit.; — D. Jacobus Long, in Cod. Ms. cit. — *Letters and Papers foreign and domestic of the reign of Henry VIII*, vol. 8, n. 886. 4. Londinii 1885, : « Ms. of M. Channey's works on the martyrdoms of More and Fisher and of Charter House monks. » — Qui vero, inter recentiores, asserunt ea opuscula a Priore et Procuratore Domus Moguntiæ fuisse composita, non adverterunt hunc locum præfationis ab eis conscriptæ : « Haud abs re et nos quoque videbamur facturi, si præsentes hos nostri sæculi et Ordinis Martyres, *pari pietate ac industria descriptos curaremus in publicum venire.* » (p. 6ª epistolæ nuncupatoriæ ad edit. an. 1550.)

4. *De crudeli mactatione diversorum, pro veritatis testimonio*[1].

Hæc quoque opera manuscripta citantur, patrio sermone composita :

The divine Cloud of Unknowing (75 cap.). Apud Henricum Chauncy et J. Long. Vernaculo sermone exarata.

Epistle of Private Council. Apud H. Chauncy.

Narratiuncula expulsionis Anglorum Cartusianorum Brugis anno 1578 (anglo sermone). Apud Long.

Demum habetur : *Petri Sutoris* (de Vita Cartusiana) *editio altera, a mendis expurgata, cum epistola dedicatoria* (9 pag.) *ad R. Patrem Cartusiæ Bernardum;* Lovanii, 1572, in-18.

[1] A nemine adjudicatur Mauritio nostro *Tabula affixa ad sepulcrum Thomæ More*, quæ in editione an. 1550 reperitur, siquidem a Cancellario ipso (ut aiunt) scripta est, anno 1532. Etiamnunc marmore incisa videtur in veteri ecclesia vulgo dicta *Chelsea*.

II.

Elenchus editionum Passionis XVIII Cartusianorum.

Quinquies hactenus in publicum emissa est XVIII Martyrum nostrorum Historia :

Moguntiæ. 1° Moguntiæ, Prioris et Procuratoris cartusiæ juxta urbem sitæ cura et studio, anno 1550, in-4°.

Monachii. 2° Monachii, in *Illustria Ecclesiæ Catholicæ Trophæa* Erasmi Vendii, an. 1573, in-12.

Burgis. 3° Burgis in Hispania, apud Juntam, 1583, 85 p. in-18. Est hæc editio nitida.

Tres prædictæ editiones, si mendas aliquot exceperis, quum ab Hispano tum a Germano editore ablatas, textum unum eumdemque exhibent, nec solum *Passione Cartusianorum* sed etiam ceteris D. Chauncy opusculis constant.

Mediolani. 4° Sequenti sæculo, omissis opusculis, Mediolani prodiit editio[1] nitidissima (an. 1606, 181 p. in-12), primæ similis sed cum titulo plane novo : *Vitæ ac Martyrii Cartusianorum aliquot qui, Londinii, pro unitate Ecclesiæ adversus hæreticos strenue depugnantes, varie trucidati sunt, pia narratio.*

[1] Ex hac editione paginas non paucas mutuatus est D. B. Tromby, (*Storia dell'Ordine Cartus.* t. X ; v. gr.: p. 88 et seq., 102 et seq., 126 et seq.)

5° Denique Arnoldus Havensius [1], Gandavensis cartusiæ Prior, culti sermonis intelligens existimator et Doctor, rudem et agrestem D. Mauritii stylum limare ac perpolire destinavit [2]; nec fuit illi satis, nam quidquid de ipso Mauritio Chauncy in ejus libello reperit, velut abs re alienum et inutile sustulit. Parum quidem prudenter : cum et inculta ad simplicitatem auctoris demonstrandam, et quæ pro se vel contra se dicit, ad fidem conciliandam Historiæ valeant. Quidquid id est, hinc quintam habemus editionem quæ et Coloniæ, et Wirceburgi, et Gandavi merito nuncupari potest. Coloniæ quidem, quia in hac civitate (mense Martio) liber impressus est [3]; Wirceburgi vero, quia hujus urbis nomen præ se fert, ex pacto, ut videtur, habito inter Havensium et Simonem Weisserum, Wirceburgensem Monachum [4]; Gandavi demum, quia ibi, mense Maio ejusdem anni, idem omnino liber, titulo tantum ac præfatione mutatis, prodiit. Numerus enim paginarum, typi, charta, mendæ ipsæ, congruunt.

Editio quinta (textum haud integrum exibens).

Wirceburgensis libelli, elegantibus iconibus ornati, titulus est :

Wirceburg.

| *Innocentia* | *et Constantia victrix* | *sive* | *Commentariolus* | *de vitæ ratione et Martyrio XVIII Cartusianorum,* |

[1] De quo vide Petreium, v° *Arnoldus;* et *Analectes pour servir à l'histoire ecclésiastique de la Belgique,* tom. *16, 1879,* pag. *211* in fine et *217* in fine.

[2] Epistola nuncupatoria editionis Gandavensis, pag. 1 in fine et 2.

[3] Petreius, p. 245 in fine ; — Aubertus Miræus, *Origines Cartusianorum Monasteriorum,* in-12, Coloniæ, 1609, p. 37 ; — Brunet, *Manuel du Libraire,* v° *Havensius.* — Adjunctus est hic liber, sine propria præfatione, *Historicæ relationi XII Martyrum Cartusianorum qui Ruræmundæ, anno 1572, agonem suum feliciter compleverunt,* auctore Arnoldo Havensio, Coloniæ, 1608, in-12.

[4] Petreius, p. 17 et v° *Simon;* — Havensius, in Epistola nuncupatoria editionis Gandavensis, circa finem.

qui in Angliæ regno, sub Henrico octavo, ob Ecclesiæ | defensionem et nefarii schismatis detestationem, | crudeliter trucidati sunt. | Edita | primum a R. P. F. Mauritio Chancæo, Anglo, | ejusdem Ordinis, pari fide ac pietate; | nunc recensita, distincta et mendis purgata, | in Cartusia Horti Angelorum, Wirceburgi, | in Orientali Franconia, | anno M. D. C. VIII.

Gandav. Havensius autem editioni Gandavensi secundam tantum partem illius tituli affixit, scilicet :

| *Commentariolus* | *de vitæ ratione et Martyrio XVIII Cartusianorum.... etc.* (ut supra.)

Colon. Demum editioni Coloniæ nullus primarius titulus est, sed tantummodo secundarius, cum duobus præcedentibus communis :

Historia | Martyrii | octodecim Cartusianorum Anglorum, | sub rege Angliæ Henrico VIII, | anno Domini 1535 1537 et 1541, | crudeliter interfectorum ; | Edita | primum a reverendo P. F. Mauricio Chancæo Anglo, | ejusdem Ordinis professo, | nunc meliori stylo recensita | atque in lucem prolata.

In Analectis Bollandianis, (tom. VI, an. 1887, fasc. 1, p. 36-51,) compendium ultimorum capitum *Passionis XVIII Cartusianorum* datum est, ex Cod. Ms. bibliothecæ regiæ Hagensis. Scriptura Codicis non est XVII sæculo antiquior; compendii autem magna pars ex editione anni 1608 sumpta videtur, (confer, ex. gr., §§ 14-17 Codicis cum pag. 91-102 editionis Havensii.)

Epitomata.

Epitome aliud, partim e Mauritii Chauncy libello desumptum, invenitur in 3ª Appendice ad Historicam Relationem XII Martyrum Cartusianorum Ruræmundæ, auctore Ar-

noldo Havensio, ed. in-4°, Coloniæ, ann. 1608, pag. 67-74.

Nos autem *primam* Editionem prælo denuo mandavimus, quippe quæ fons et caput sit ceterarum. Nullam textus immutationem, saltem alicujus momenti, fecimus quin simul nota illam indicaverimus, cum non raro vel in erratis sit utilitas ad historiæ fidem, et mendæ ipsæ loquantur.

Ex hac D. Mauritii Historia hauserunt omnes quotquot de nostris Anglis Martyribus scripsere.

Præter Sanderum (*De Origine ac progressu schismatis anglicani,* p. 126 et seq. edit. rom. an. 1586), Surium *Commentarius brevis rerum in orbe gestarum*... Coloniæ, 1574, in-12, p. 263 et seq.), et Molanum (apud Bollandistas, t. XIV. p. 442, 4° die Maii), omissisque recentioribus anglicis libris pari pietate ac ingenio conscriptis qui omnium manibus teruntur, operæ pretium est citare : **Variæ BB. Martyrum Historiæ.**

1° *Historia de los santos Martires de la Cartuxa, que padecieron en Londres ; dirigida a los religiosissimos Padres Prior y Monges del Monasterio de Cartuxa de Sevilla : hecha por el licentiado Christoval Tamariz.* (Sevilla, 1584, in-8°. — Poema.) **Hispanice.**

2° *El glorioso Martirio que padecieron los santos Cartuxos por Enrico octavo en la gran Bretaña*... in opere Canonici Joseph de Valles cui titulus : *Primer instituto de la Sagrada Religion de la Cartuxa.* (Madrid, 1663 ; Barcelona, 1792, in-8°.)

3° *Londres et Grenoble, Henri VIII et les Chartreux, Mignard et les supplices*, auctore Pierquin de Gembloux. (Gratianopoli, 1838, in-8°, 22 p.)

Germanice.

4° *John Fisher, der Bischof von Rochester. Mit Anhang über die engl. Karthäuser,* auctore Kerker. (Tubingæ, 1860, in-8°).

Versiones : gallica.

Inter cod. manuscriptos Majoris Cartusiæ gallica translatio servatur, a D. Bartholomæo Marin, vicario Monialium Cartusianarum in Prémol, anno 1758 scripta.

Anglica.

Demum reperitur Brugis, in *domo Nazareth,* translatio ms., Anglo sermone, editionis Havensii anni 1608, sine nomine interpretis.





Tabula, ligno depicta, Cartusianorum Anglorum diversa repræsentans tormenta ; omnium antiquior & fere coæva, ut ex titulo gallice scripto apparet :

« Le martyr des Relligievx Chartrevx execvte en Angleterre sovbz le roy Henry hvictiesme de ce nom en lan mil cinq cent trente & cincq. »



HISTORIA

ALIQUOT NOSTRI SÆCULI

MARTYRUM

CUM PIA TUM LECTU JUCUNDA

NUNQUAM ANTEHAC TYPIS EXCUSA.

SAPIENTIÆ V.

Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum et in similitudinem improperii.
Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et finem
illorum sine honore : ecce quomodo computati
sunt inter filios Dei, et inter sanctos
sors illorum est.

MOGUNTIÆ

FRANCISCUS BEHEM EXCUDEBAT

ANNO M.D.L.

I.

TYPOGRAPHUS LECTORI

S. P. D.

Novorum nostræ ætatis Martyrum quorumdam vitam sanctam, mortemque pretiosam ac memorabilem, hucusque pene sub modio latitantem, hac de causa super candelabrum ponere visum est, ut omnibus qui in domo Dei sunt, tam insignis ac splendida veræ Evangelicæ fidei lucerna suo fulgore præluceat; neque ignorantibus modo veritatis monstret viam, sed etiam torpentibus divinæ charitatis, quæ semper magna operatur (teste Gregorio Magno) et sine qua fides mortua est, stimulum et fervorem addat, uti a somno desidiæ ac negligentiæ excitati, abjiciant opera tenebrarum et induantur arma lucis; lapsi item jam resurgant, vacillantes confirmentur, et omnes denique in fide Orthodoxa Sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ, extra quam nemini dabitur salus, fortiter perseverent. Quod quidem recte poterunt, si Martyrum istorum, et vitæ sanctimoniam et fidei constantiam ad mortem usque imitandam susceperint, memores illius dicti Evangelici : Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum; *et* : Qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit.



EPISTOLA NUNCUPATORIA

VENERANDO in Christo Patri, summaque pietate ac doctrina Viro, Theodorico Loher a Stratis, cartusiæ Aulæ Mariæ, in Buxia vico Sueviæ prope Memmingen, Priori, necnon Visitatori Provinciæ Alemaniæ inferioris ejusdem Ordinis meritissimo : Vitus a Dulken, Prior Domus Montis Divi Michaelis juxta Moguntiam, Ordinis Cartusiensis, et Guillelmus a Sittart, dictæ Domus Procurator, concordes et humiles in Christo Fratres, S. P. D.



UANQUAM statim a tempore gratiæ quo Filius Dei Jesus Christus, creator et redemptor noster, Evangelica sua luce universum mundum illustravit, ut omnis qui crederet in Ipsum mortem non perhorresceret sed vitam haberet sempiternam, tanta repente exstitit Martyrum multitudo, exuberante nimirum virtutis

Joann. I, 9.

Ibid. III, 15.

ac fidei copia, ut eorum numerus esset innumerabilis, testante Apocalypsi et dicente : « Post hæc vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, ex omni gente et ex omni tribu, et populo et lingua, stantes in conspectu throni et Agni; et erant amicti stolis albis, et palmæ fuerunt in manibus eorum, et magno clamore dicebant : Salus Deo
Apoc. VII, 9. nostro sedenti super thronum et Agno, etc., » tamen paulo post, cum jam primus ille primitivæ Ecclesiæ fervor paulatim elanguescere inciperet, animique Christianorum ad vitia quam ad virtutes pene proniores ferrerentur, martyria simul rarescere cœpere, licet passim alioqui, et præsertim in cœnobiis, multi exstiterint sancti patres qui obedientiæ, castimoniæ, patientiæ, humilitatis et devotionis, non pœnitenda ediderint exempla. Quo admirabiliores merito censendi sunt hi Cartusiani, quorum nos Historiam sincera intentione publicari curavimus, qui in ipso mundi jam senescentis occasu, quo omnia vitia stant in præcipiti adeo ut nequeant vel ulterius progredi vel altius conscendere, animis tam obstinatis tantaque mentis vi et flagrantia in Catholica fide et Orthodoxa nostra religione perstitere, quamlibet interim, frementibus carne, mundo et Diabolo, ut primævis illis Martyribus non modo pares, sed tanto habeantur jure superiores quanto fuerunt tempore posteriores. Illi enim superiores tum immolati fuere Christo, cum nemo fere difficile vel arduum putaret martyrem fieri, propter innumerabilem eorum, qui quotidie tanquam
Rom. VIII, 36. oves occisionis ad lanienam trahebantur, multitudinem :

at hi Nostri cum paucissimis aliis, quorum præcipui fuere nulla unquam oblivione obliterandi D. Joannes Fisherus episcopus Roffensis et Thomas Morus, hoc nostro corruptissimo sæculo, quo pene prodigii instar fit pro Christo mori, eamdem quam illi in opprobriis patientiam, in vultu hilaritatem et in voce constantiam retinuere pariter ac præstitere, idque in ipso flagrantissimo acerbissimorum suppliciorum cruciatu. De divo Laurentio legitur, quod B. Laurentius. cum corporali laboraret incendio, amor divinus naturalem restinxerit ardorem, et quamvis tyrannus fomenta adderet, ligna subjiceret, incendia augeret, ipse tamen has flammas præ fidei ardore non senserit. Charitas enim Christi flammam ignis superabat, et internus ignis multo ardebat vehementius quam externus, nec visceribus sensit urentia tormenta qui sensu interiore refocillantia Paradisi possidebat refrigeria. Ipse ergo in tormentis gaudebat, tyranno insultabat, et ad perficienda supplicia blandissimis verbis invitabat ultro. « Ecce, inquiens ad Decium, carbones isti tui sunt mihi loco refrigerii. Et iterum : Assatum est mihi latus alterum, versa et manduca. » Item divus Vincen- B. Vincentius. tius raptus, tractus, flagellatus ac jamjam cruci suffigendus, moras carnificum increpavit, ac Daciano dicenti : « Ubi nunc, miser, cernis corpus tuum ? respondit : Infelix, has ego epulas semper optavi. » Et Tiburtius, cum jussus per B. Tiburtius. carbones vivos nudis plantis incederet, inquit : « Videor equidem mihi per florentia roseta obambulare, in nomine Domini nostri Jesu Christi. » Quid dicemus de Virginibus

BB. Agatha et Catharina.

Martyribus, ac cum de aliis innumeris, tum de diva Agatha et beata Catharina, quarum illa cum a judice Quintiano interrogaretur quare, cum a cruentis spiculatoribus duceretur, glorians et exsultans ad carcerem accederet : « Quia, inquit, ibi quos semper optavi cœlestes inveniam thesauros, quos neque ærugo atteret neque tinea unquam sit consumptura. » Hæc vero ad Maxentium Imperatorem sic ait : « Adhibe quæcumque vel humana crudelitas vel tyrannica diritas fingere potest tormenta, nam ego carnem et sanguinem meum Christo sponso meo jam diu offerre desidero, sicuti ille quondam Deo Patri sese pro me victimam præbere non recusavit. » Non minor utique virtus

BB. Martyres Cartusiani.

et constantia fuit horum nostrorum Martyrum Cartusianorum, licet vergente mundi vespere, ac omnibus mortalium actis uno quodam impetu in pejus quotidie proruentibus. Æstum, frigus, famem, sitim, nuditatem, carceris squalorem patientissime pertulere; cumque ad supplicium duxisset carnifex, et quod dictu est horrendum, viva adhuc et palpitantia corda pectoribus raptim evulsa in eorum ora conjiceret, simulque exprobraret suam erga Regem inobedientiam et infidelitatem : « Nostra, unanimiter inquiunt, illic sunt corda, ubi est thesaurus noster Jesus Christus, et fidem obedientiamque nostram ab illo supremo omnium Rege jam audimus in cœlis commendari, qui et Ipse jamjam incipit capitibus nostris imponere coronas de lapidibus pretiosis. Hæc tu Regi tuo renunciato, ut et is per Ejusdem misericordiam aliquando conversus, divina gratia non ex-

cludatur, quam nos illi, ut vere fideles subditi, piis semper votis sumus comprecati[1]. » O inconcussa fidei rupes! o vere consolidata fidei petra! quæ tam horrendis suppliciis, tantaque cruciatuum diritate non potuerit quidquam commoveri, sed perstiterit ubique firma, fixa, immota et invicta; idque in ipso mundi senio, inque summa humani generis licentia, ignavia, vecordia et mollitie, in ipso denique extremo totius effusi Tartari furore. Quum igitur Majores nostri accurata diligentia superiorum Martyrum Historias monumentis litterarum commendaverint, ut eæ certis festivis diebus populo Christiano propositæ incitamento sint ad similia in afflictionibus perferenda, paremque fortitudinem et perseverantiam in adversis certaminibus adhibendam : — nihil enim est aliud universa Christiani hominis *Job* VII, 1.
vita quam militia super terram, juxta illud Chrysostomi : « Tu, Christiane, delicatus es miles, si putas te sine pugna vincere, sine certamine triumphare; exerce vires fortiter, dimica atrociter, in prælio isto concerta, considera pactum quod spopondisti, conditionem quam accepisti, militiam cui nomen dedisti; hoc pacto cuncti pugnant, hac conditione universi vicere Christiani; etc. » — haud abs re et nos quoque videbamur facturi, si præsentes hos nostri sæculi et Ordinis Martyres, pari pietate ac industria descriptos, curaremus in publicum venire ac candidis animis per typographorum operam immortalitati consecrari; præsertim cum hi eo nobis majori debeant esse hortamento ad eumdem calicem, si ita Deo placuerit, bibendum, quo et *Matth.* XX, 22.

ætate propiores et propter eumdem Ordinem eamdemque vitæ Regulam nobis fuere conjunctiores.

Porro autem vobis, Reverende Pater, ob id potissimum præsentem hanc Historiam transmittendam vestroque nomini peculiariter nuncupandam duximus, ut quemadmodum hactenus et vitæ instituto et periculis sustinendis proxime ad istorum sanctorum Martyrum imitationem accessistis, ita et in posterum ipsorum exemplo ad perseverandum, quaque cœpistis via intrepide pergendum et
II *Tim.* IV, 7. ad cursum alacriter consummandum animemini, incitemini et corroboremini. Non defuit antehac animus vester martyrio, sed potius animo vestro martyrium defuit, qui pro Christi charitate ac nostræ Religionis zelo, innumerabiles in hunc usque diem peregrinationes, labores, molestias et vitæ discrimina sustinuistis : dum primum Hildesemensi cartusia excedere jussi, ac mox a Reverendo totius Ordinis Patre et Capitulo generali commissione legitime accepta, nullum diem intermisistis, nullamque vobis requiem concessistis, quin in diversis cartusiis ab apostatis passim ablata repeteretis, diruta repararetis, depravata reformaretis, omniaque tandem in pristinam et Catholicam orthodoxorum Patrum integritatem revocaretis; qua in palæstra, dum feliciter, aspirante cœlesti favore, luctamini, quantam odii molem quantamque hujus mundi magnatum et potentum invidiam sustinueritis, hac præsertim turbulentissima tempestate, facile est cuivis non imprudenti per sese æstimare. Ceterum, quemadmodum vos istis vestris laboribus, nisi ab ipso

DE CAPTIVITATE ET MARTYRIO

D. JOANNIS FISHERI, EPISCOPI ROFFENSIS,

propter secundas nuptias Regis et constitutionem schismaticam.



EVERENDUS Pater D. Joannes, episcopus Roffensis, dum per pastoralem curam apud oves sibi commissas residens, custo-
Luc. II. 8. diret vigilias noctis supra gregem suum, tum vitæ sanctimonia atque austeritate, tum administrandis sacramentis, tum assiduitate docendi voce simul et scriptis, denique mira liberalitate in egenos, benignitate in studiosos, multis annis verum agebat Episcopum. Hic ergo quasi stella matutina in medio nebulæ,
Eccli. L, 6, 7. et quasi luna plena in diebus nostris, et quasi sol refulgens, sic effulsit in templo Dei, errantiumque tenebras suæ sanctitatis et eruditionis splendore discussit.

Ibid. XLIV, 16, 17. Verum talis ac tantus vir, qui in diebus suis placuit Deo et inventus est justus, dum urgente conscientia, primum

quidem secundis nuptiis quas Rex (repudiata et superstite D. Catharina prima uxore sua) cum quadam Anna superducta, anno Domini M.D.XXXIV celebrare constituerat, tum verbis tum scriptis contradiceret : deinde novæ constitutioni totius Concilii seu Parlamenti regii (quæ Regem ipsum supremum post Christum, tam in spiritualibus quam temporalibus, regni caput, sub pœna corporum et rerum ab omnibus suscipiendum et tenendum, et omnem aliam extra regnum Ecclesiasticam potestatem abnegandam, schismatica temeritate mandaverat) sese, Dei solius et veritatis intuitu, constanter opponeret, per satellites publica potestate apprehensus, et in arce seu Turri Londoniensi multis *26 Aprilis 1534.* diebus captivus detentus est.

Hinc XV Calendas Julii, anno XXXV, productus, et ad curiam prope Westmonasterium frequenti satellitum armatorum stipatu perductus est, partim navigio, partim equo, ob corpusculi debilitatem quam præter ætatem auxerat carceris incommoditas, licet ipse valetudinem suam jejuniis et vigiliis, studiis et laboribus ac lacrymis, vehementer aggravasset. Ille vero, tametsi non ignoraret ejus cognitionis exitum, nihil tamen perturbatus est, sed placido ac prope etiam ad hilaritatem vultu composito, ad tribunal evocantibus paruit. Cumque super objectis articulis interrogaretur, juxta D. Thomæ Mori et aliorum qui sequuntur Martyrum responsa in sequentibus fusius expressa, per omnia catholice respondit, adeo ut mirarentur adversarii conformitatem responsorum, nescientes unum Veritatis

Spiritum unam per omnes eloqui veritatem. Quapropter juxta morem ejus regionis, per duodecim viros ad pronuntiandum de eo (num morte dignus esset qui constitutioni Parlamenti obstitisset) delectos, fœdo et terribili mortis genere damnatus est, simul atque Regi visum esset. Hoc adjectum creditur, si forte spe veniæ posset a sententia deduci, supplicio territus Cartusianorum qui paulo ante suspensi, eviscerati, et membratim divisi fuere. Quod autem mitiore post pœna affectus est Roffensis quam minabatur judicum sententia, in causa fuisse putatur quod metuerint ne senex et exhausto corpusculo, si per viam tam longam rheda trahave tractus fuisset ut alii, sponte exspiraret.

Igitur noster Roffensis, accepta tam horrendæ mortis sententia, quum satellitibus stipatus reduceretur in arcem, ut ad ostium ventum est, versus ad satellites hilari placidoque vultu : « Plurimam, inquit, boni viri, vobis habeo gratiam, pro officio quo me euntem et redeuntem deduxistis. » Dixisses hominem ex hilari suavique redire convivio, adeo et color erat jucundior, et ipse toto corporis gestu, quatenus per gravitatem licuit, lætitiam quamdam præ se ferebat, ut nemini non esset perspicuum, sanctissimum virum, ceu jam portui vicinum, toto pectore ad illam beatam tranquillitatem aspirare. Nec diu dilata est mors. Ad decimum Calendas Julii productus in planitiem quam Angli vulgo dicunt Turris Collem, vultu non solum constanti verum etiam alacri, paucis allocutus est populum.

Tower Hill.

DE D. THOMÆ MORI CAPTIVITATE,

BONORUM CONFISCATIONE,

et ultimo supplicio, propter confessionem veritatis.

HOMAS Morus non ita pridem regni Britannici Cancellarius, qui hanc sævam tempestatem venturam tum præsentiens, ne cogeretur innocentibus inferre quod in seipso jam perpessus est, officium Cancellariæ (quod proxima post Regem dignitas est) sponte resignavit. Cumque secundis Regis nuptiis ex solo Dei timore contradiceret, bonis suis omnibus privatus et perpetuo carceri addictus est. Anno autem Domini M.D.XXXV, Calendis Julii, ex arce Londoniensi eductus ac Magistratui et Judicibus a Rege ordinatis præsentatus fuit. Ibat reus baculo innixus tam longam viam, corpore gravi infirmitate in carcere debilitato, nihil tamen perturbationis vultu præ se ferens.

Cancellariam resignat.

nec debebam Principem meum celare veritatem. Quod nisi fecissem, præsertim in re tanti momenti unde pendebat et Principis honor et regni tranquillitas, tum vere fuissem quod nunc objicitur, malevolus, perfidus et proditor. Ob hoc delictum (si modo delictum dici debet) gravissimas dedi pœnas, exutus omnibus facultatibus meis illisque fisco addictis, ac perpetuo carceri adjudicatus in quo jam menses quindecim totos fui detentus. Sed his omissis, tantum ad ea respondebo quæ sunt hujus negotii præcipua. Dicitis me pœnam commeruisse, quam infligit constitutio seu statutum in proximo Procerum conventu, me in carcere agente, factum; quasi malitioso ac perfido animo proditorie detraxerim regiæ Majestati famam, honorem ac dignitatem, quæ illi per dictam constitutionem consensu omnium erant tributa, videlicet quod ibi Rex declaratur sub Jesu Christo supremum caput Ecclesiæ Anglicanæ. Atque ante omnia quod mihi objicitis, me nihil voluisse respondere Secretario Regis ac venerabili Majestatis illius Concilio, quando me interrogabat quænam esset mea de illo decreto sententia; respondi me jam mundo mortuum esse nec istiusmodi negotiis amplius sollicitari, sed tantum meditari in Passione Domini nostri Jesu Christi. Ad quod jam clare respondeo, vobis ob hujusmodi meum silentium me morti adjudicare non licere; quoniam neque vestrum decretum neque ullæ leges mundi possunt quemquam ob silentium addicere morti, sed tantum ob dictum vel perpetratum facinus. De occultis enim solus judicat Deus. »

Rom. II, 16

Tum regius Procurator suscipiens sermonem : « Hujusmodi, inquit, silentium certum aliquod indicium erat et obscura significatio malignæ alicujus cogitationis contra ipsum decretum, propterea quod omnis subditus sincerus et fidelis Regi, si de dicto decreto interrogetur, tenetur citra omnem dissimulationem respondere regium edictum esse bonum, justum ac sanctum. »

Tum Morus : « At si, inquit, verum est quod jus commune habet : Qui tacet consentire videtur, meum istud silentium plus approbavit vestrum decretum quam infirmavit. Jam quod dicis omnem fidelem subditum obligari ut respondeat regium edictum esse bonum, si interrogetur; respondeo bonæ fidei subditum magis obligatum esse Deo, conscientiæ et animæ suæ, quam ulli alii rei in hoc mundo, maxime si talis conscientia, qualis est mea, nihil offendiculi, nihil seditionis pariat domino suo; nam illud pro certo vobis affirmo, quod nulli mortalium hac in re detexerim conscientiam meam.

« Venio nunc ad secundum accusationis caput, quo arguor contra dictam constitutionem seu decretum vestrum machinatus fuisse, eo quod ad Roffensem scripserim octo paria epistolarum, quibus illum animarim adversus istud edictum. Equidem vehementer optarim eas epistolas hic proferri; sed quoniam, sicut vos dicitis, per Episcopum exustæ sunt, ipse vobis ultro illarum argumenta commemorabo. In quibusdam tractabantur res familiares, sicut nostra vetus consuetudo et amicitia postulabat. Una ex illis

Ad secundam accusationis partem.

responsum ad ipsius epistolam habebat, qua scire desiderabat quonam modo respondissem in carcere, cum prior examinarer super dicto decreto. Cui respondi me meam conscientiam exonerasse et rationem esse sequutum; idque ut ipse similiter ageret admonebam. Hæc fuit, ita sit mihi Deus propitius, mearum litterarum sententia. Harum igitur causa non possum per vestrum decretum sive edictum addici morti.

Ad tertiam accusationis partem.

« Quod vero ad tertium articulum attinet, qui continet me, cum a Senatu examinarer, respondisse vestrum decretum simile esse gladio ancipiti, ut qui obtemperaret periclitaretur de salute animæ, qui aversaretur amitteret vitam, ac eadem respondisse Episcopum Roffensem, sicut dicitis; ex quo appareat hæc inter nos de composito agi, utroque eodem modo respondente. Ad hæc respondeo, me non simpliciter sed sub conditione esse locutum, videlicet si esset aliquod statutum simile gladio ancipiti, quonam modo quisquam hominum sibi posset cavere ne alterutram aciem incurrat ? Porro quid responderit Episcopus Roffensis ignoro, et fieri potest ut eodem modo responderit. Si illius oratio cum mea congruebat, id nequaquam accidit ex conspiratione, sed potius ex ingeniorum ac doctrinæ similitudine. Breviter illud pro certo habetote, me nunquam malitiose quidquam locutum contra vestrum decretum; interim tamen fieri potuit ut multa ad concitandum mihi odium apud regiam Majestatem depravate sint perlata. »

Post hæc vocati sunt per ministrum publicum duodecim

viri, juxta gentis illius consuetudinem, quibus traditi sunt articuli ut super illis consultarent ac judicarent an Morus malitiose contra decretum peccavisset. Qui cum per horæ quartam partem secessissent, reversi sunt ad Principes et Judices delegatos ac pronuntiarunt *Guilty*, hoc est : condemnandus aut dignus est morte. Mox Cancellarius pronuntiavit sententiam juxta formulam memorati decreti.

In 1e edit. : Gylthi.

His ita peractis, Thomas Morus sic orsus est loqui : « Quando, inquit, morti sum adjudicatus (rectene an secus, novit Deus), ad exonerandam meam conscientiam libere vobis de vestro decreto dicam quod sentio. Primum illud dico, me septem annis intendisse animum studiumque meum in istam causam. Verum hactenus in nullo Doctorum ab Ecclesia probatorum reperi scriptum quod laicus, aut ut vocant sæcularis, possit esse caput status spiritualis aut ecclesiastici. »

Hic Cancellarius interrumpens Mori sermonem : « Domine More, inquit, ita ne tu vis haberi sapientior meliorisque conscientiæ omnibus Episcopis, tota nobilitate, toto denique regno ? »

Ad quæ Morus : « Domine, inquit, Cancellarie, pro uno Episcopo quem habes tuæ opinionis, mihi sunt facile centum, idque ex illorum numero qui inter Divos relati sunt; et pro unico vestro Concilio (quod quale sit, Deus novit), pro me habeo omnia Concilia generalia, annis ab hinc mille celebrata; et pro uno regno, habeo Franciam ceteraque Christiani orbis regna omnia. »

Hic dux Norfolciæ interpellans : « Nunc, inquit, More, perspicue liquet tua malevolentia. »

Ad quæ Morus : « Ut hæc loquar, inquit, non incitat malevolentia, sed cogit necessitas, ad exonerandam conscientiam meam, teste Deo qui solus scrutatur corda hominum. (*Rom.* VIII, 27.) Præterea hoc quoque addo, vestrum decretum perperam esse factum, quoniam ex professo jurastis nihil unquam facere contra Ecclesiam, quæ per universam ditionem Christianam unica est, integra et individua. Neque vos soli ullam habetis auctoritatem, citra aliorum Christianorum consensum, condendi legem aut instituendi Concilium adversus unionem et concordiam Christianitatis. Sed non ignoro cur me morti adjudicaveritis, videlicet ob id quod nunquam voluerim assentire in negotio novi matrimonii Regis. Sed tamen mihi magna spes est in bonitate divina, quod quemadmodum sanctus Paulus legitur, persecutus fuisse divum Stephanum, (*Act.* VII, 57.) qui tamen jam unanimes agunt in cœlo, sic nos qui discordes sumus in hoc mundo, in futuro sæculo pariter sumus concordes et perfecta charitate unanimes. Hac spe fretus, precor Deum ut vos servet una cum Rege, eique dare dignetur bonos consultores. »

Cum vero jam peracto judicio Morus in carcerem reduceretur, priusquam ad Turrim esset perventum, una filiarum ejus, nomine Margareta, per mediam satellitum turbam ruens, flagrans immodico desiderio patris, nulla habita ratione sui nec loci publici nec circumstantium, vix tandem

ad patrem perrupit, ibique collum ejus amplexa, miserando fletu suum extremum dolorem est testata. Cumque illum aliquandiu arctissime constringeret, dolore viam omnem vocis præcludente, pater permissu satellitum eam hoc modo consolatus est : « Margareta, esto animo forti, nec te excrucies amplius. Ita visum est Deo. Jampridem nosti secreta cordis mei. » Inde patre decem aut duodecim passibus abducto, rursus accurrit ad amplexum patris. Ibi Morus nullis emissis lacrymis, nulla vultus perturbatione, hoc tantum dixit : « Vale, et Deum pro salute animæ meæ deprecare. »

Hic apud se quisque reputet quam valido pietatis mucrone transfixum sit cor Mori.

Capite truncatur.

Inde septimo die Julii, fuit capite truncatus in magno campo qui est ante Regiam. Ac pauca, priusquam obtruncaretur, loquebatur, tantummodo rogans circumstantem multitudinem ut pro eo orarent in hac vita, ipse vicissim in alia vita intercederet pro illis. Præterea illos ardentissime hortabatur ut Deum pro Rege suo deprecarentur, quatenus illi dare velit rectum consilium et mentem bonam; palam protestans se mori ejus fidelem ministrum, in primis tamen Dei omnipotentis.

DE D. REGINALDI THEOLOGI
MARTYRIO, RESPONSIS,
et sententia mortis, propter fidem Ecclesiæ.



NNO M.D.XXXV, die quinta decima mensis Aprilis, in aula majori de Westminster, Principes et Domini Angliæ ceterique Judices congregati, statuerunt quorumdam Religiosorum et sæcularium audire responsionem, qui nonnulla contra regiam Majestatem dixisse scripsisseve accusati, eorumdem haberent reddere rationem. Itaque inter hos primo Doctor quidam Theologiæ, vir angelico vultu, omnibus gratiosus et spiritu Dei plenus, ex abbatia dicta Sion, Londonii, Ordinis S. Brigittæ, interrogatus est per D. Cancellarium in hac forma :

Beatus Ricardus Reynolds.

« Cur soli, inquit, vos præsumptuosi, vultis persistere in opinione vestra, quæ sententiæ datæ per Parlamentum,

hoc est per tam grandes Dominos et Episcopos omnesque fere universi regni Proceres, contraria est ? »

Ad quod idem Doctor respondit : « Decreveram quidem, imitaturus Dominum nostrum Jesum Christum dum in judicio coram Herode statueretur, nihil respondere ; verum Luc. xxiii, 8, 9. quoniam me urgetis ad finem quo tam meæ quam hic astantium conscientiis satisfaciam, dico quod nostra opinio, si de testimoniis verorumque suffragiis agi posset, instructior copiis esset atque testimoniis multo copiosior quam vestra. Siquidem pro quibusdam, quos tu ex unius regni Parlamento adducis, totum ego habeo mecum orbem Christianorum, exceptis adhuc his qui sunt de hoc regno ; non dicam, omnes de regno, quoniam minor pars pro vobis est. Et dato quod major pars regni insectaretur opinionem meam, tamen id non fieret ex sententia, sed per externam dumtaxat simulationem ; idque metu amittendarum dignitatum ac honorum, aut spe favoris regii sibi conciliandi. » Super quo articulo quantocius illi mandatum est per Secretarium Regis, sub pœna incurrendi rigorem legis, quatenus manifestaret quinam illi essent de quibus loqueretur. Ad quod respondit, omnes esse bonos hujus regni. Et continuans suum primum propositum, dixit : « Quantum ad testimonia spectat defunctorum Patrum, ego pro mea parte habeo Concilia generalia, omnes Pastores et Doctores Ecclesiæ qui fuerunt a mille quingentis annis, singulariter vero sanctos Hieronymum, Ambrosium, Augustinum, Gregorium. Et certus sum quod

postquam serenissima Majestas hujus rei cognoverit veritatem, erit supra modum offensa quibusdam Episcopis qui hoc illi consilium dederunt. »

Post hæc mandabatur ei ne ultra loqueretur, sed solum responderet ad hoc quod causam gravare videbatur, qua videlicet ratione ipse, per grandem malitiam, contra auctoritatem Regis intra regnum multis dissuadere non vereretur ne opinioni Regiæ Majestatis et Parlamenti consentirent.

Constanter respondet.

Tum ille : « Ego, inquit, vobis respondeo primum : si starem in judicio coram Deo, manifestum fieret nunquam me contra Regem nec contra quamcumque aliam personam, per malitiam declarasse meam opinionem homini cuicumque viventi ; sed quibus resistere non potui, ad exonerandum meam propriam conscientiam, id commisi in confessione. Verum est me vehementer fuisse contristatum, postquam serenissimam Majestatem in tanto deprehenderam errore, sed nunquam inde locutus sum aliter quam dixi. Et si tunc non declarassem meam sententiam, ego jam declararem ; quoniam in hac parte obligatus sum Deo et conscientiæ meæ, et in talibus jure non possum offendere Principem meum nec quemvis alium. » Hinc illico impositum ei fuit silentium. Verum ille : « Postquam non vultis, inquit, quod amplius loquar, secundum legem vestram me judicate. »

Inde cum audisset a duodecim viris ad hoc delectis se condemnari reum mortis, dixit cum magna constantia :

Joann. XII, 31.

« Hoc est judicium mundi. » Deinde supplicavit Judicibus

ut darent sibi spatium duorum aut trium dierum vitæ, ad præparandum conscientiam suam qua mori possit quomodo Religiosum et bonum decet Christianum. Cui responsum est, in sola bonitate consistere Regis si velit illi hoc præstare, et id amplius in Judicum non esse potestate. Ad quod ille : « Credo, inquit, videre bona Domini in terra viventium. » *Psalm.* XXVI, 13.

DE CRUDELI MACTATIONE DIVERSORUM

pro veritatis testimonio.

RIOR Londoniensis cartusiæ accessit Eleemosynarium Regis et Doctorem Latimer, et alium quemdam Doctorem, dicens pro revelatione conscientiæ suæ velle dicere tria. Primum, viso quod Dominus noster Jesus Christus dedit suis Vicariis spiritualem potestatem per sua verba Evangelica : Et tibi dabo claves regni cœlorum, et nullus unquam Doctorum hæc verba alteri dicta esse asseveravit præterquam sancto Petro soli, quæ quidem potestas inde ad alios derivatur Apostolos, et consequenter ad Papam et Episcopos; quo ergo modo possent illa verba intelligi de Rege homine laico et sæculari, quod ipse sit supremum caput et primas Ecclesiæ Anglicanæ ? Secreta

Matth. XVI, 19.

rius* autem Regis audiens verba hæc, dixit : » Tu ergo vis facere Regem presbyterum ! » mandans ne amplius loqueretur. Postea per duodecim viros pronuntiata est sententia mortis, et exsecutioni mandata, quarta die Maii, anno XXXV, in hunc modum.

*Thomas Cromwell.

Primum quatuor Religiosi, quorum unus erat Doctor prædictus,[a] et unus solus presbyter sæcularis[b] (quoniam alter junior[c] accepit gratiam), tracti sunt ex magna Turri Londoniensi per civitatem usque ad locum justitiæ, distantem a civitate per unum milliare francicum ; ibique sine aliqua reverentia ordinis aut habitus sacerdotalis vel Religionis, sine degradatione et in propriis vestimentis, appensi sunt patibulo per grossam quamdam chordam ne strangularentur. Indeque statim depositi sunt adhuc vivi. Deinde, abscissis primum verendis et in ignem conjectis, extraxit eis spiculator corda eorum, quæ transfixit et igne quoque cremavit. Inde, abscissis capitibus, corpora sunt quadripartita, quæ postea posita sunt super portas et loca publica dictæ civitatis. Et licet ad terrorem sequentium, posterior semper viderit trucidationem præcedentium priusquam mortem ipse exciperet, testor tamen multo tempore non visos qui tanta ut hi constantia, perseverantes usque in finem, mortem excepissent. Nam quomodo in animo non sunt a via veritatis mutati, ita nec in vultu pallor, nec in verbis trepidatio, nec in aliquo gestu corporis timor apparuit mortis. Spiritu namque Veritatis roborati, pro qua ad mortis ibant agonem, alacres perinde ac olim tuti et sani fuerant re-

[a] *Beatus Ricardus Reynolds, de quo in præcedenti scripto agitur.*

[b] *Beatus Joannes Hale, de Isleworth.*

[c] *Robert Feron, de Teddington.*

manserunt. Rogabant autem Principes et adstantes omnes perseveranter bene vivere, Regi fideliter servire, eidem in omnibus, præter ea quæ contra voluntatem Dei et Ecclesiæ sunt, obedire.

Protestabantur quoque nunquam se fuisse Regi inobedientes, nisi in rebus quæ repugnabant sancto Evangelio et Ecclesiæ Catholicæ; atque ideo recipere se mortem non solum patienter sed et perlibenter. Addebant præterea, agnoscentes magnam a Deo sese assecutos gratiam, quod pro veritate eis dedisset mori, et pro assertione hujus Evangelicæ et Catholicæ doctrinæ, videlicet, *Regem non esse supremum in spiritualibus primatem caputque Ecclesiæ Anglicanæ.*

Ceterum qui hæc vidimus, aut legimus sive audimus, gratias agamus Deo qui spiritu induit fortitudinis atque zelo charitatis multos sibi amicos, qui in Anglia pro veritatis testimonio sanguinem suum fuderunt. Cujusmodi sunt Episcopus Roffensis, Thomas Morus, Cartusienses, multique aliorum Ordinum, constantes omnes; quorum capita membrave post mortem stipitibus affixa, prædicant nobis quam fidem quamve charitatem ad Christum et Ecclesiam debeamus habere usque in mortem; hocque a se factum suo nobis exemplo commonstrant. Cecidit enim illis in gloriam multo majorem sic patibulis et stipitibus esse affixos, quam cum auro gemmisque sepultos. Ab om-

Supplicium gloria plenum.

somno Paternitatem vestram certiorem reddere operæ pretium existimavi. Nam ex quo altare illud sacrilegum erectum est in Bethel, ut ultra non ascenderemus Jerusalem ne converteremur ad Dominum, nullus ex cognatione nostra de eorum obitu vobis quidquam significavit; quippe qui nec ausi fuimus, et nobis insidiatores undique, ne quid tale faceremus, erant positi. Nunc vero quoniam eripuit me Deus de laqueo venantium, et constituit super excelsam terram semotum a timore nocturno, necessarium duxi de his omnibus quæ acciderunt nobis nonnihil R. P. V. significare. Verum prius imitator factus filiorum Israel, quibus Jordanem ingressis, in terram Promissionis perrecturis, visum fuit ut durissimos lapides de medio Jordanis alveo tollerent, et illos in loco castrorum ponerent ut essent in monumentum filiorum Israel in æternum per quale iter eduxerit eos Dominus, arca interim Testamenti persistente in medio fluvii donec omnia complerentur quæ præcepit Dominus Josue fieri: ita et ego — ut plenius innotescat quales fuerunt quos elegit Dominus in hæreditatem sibi, per sequelam Agni benedicti quocumque ierit sive in vitam sive in mortem, —antequam Jordanem nostrum transiero, inde* educturus cophinum meum plenum morticiniis Servorum Dei, non inconvenientia interseram, sed durissimos lapides torrentis nostri tollens, non docendi animo sed potius refocillandi spiritum gratia, ponendo sive erigendo sedem sanctæ pausationis lassis et attædiatis ex longitudine itine-

III. Reg. XII, 32. — *Psalm.* CXXIII, 7. — *Josue* IV, 1-10. — *Apoc.* XIV, 4.

* *In 1 edit.*: unde.

ris per hunc terribilem montem, locum horroris et vastæ solitudinis : ne etiam penitus inchoare viderer narrationem ubi illi suum felicem consummaverunt cursum, et præsertim ex eo quod Sacra Scriptura eruditum filium doceat gloriam esse patris, præsertim si filius nihil faciat nisi quod viderit patrem prius facientem, quæque ipse ab eo omnia didicerit. Pater enim notam faciet filiis virtutem et veritatem suam. Idcirco tum de patre, tum de filiis, et modo vivendi in illo Conventu luculentius aliquid recensebo, ut in patre simul et filiis laudetur et glorificetur Deus.

Deut. XXXII, 10.

Prov. XIII, 1.

Joann. V, 19.

Et non existimet aliquis, ut laus aut favor humanus ex affectu cordis mei in caput meum redundaret (quia professus exstabam in illo Conventu), aut ut videantur ab hominibus opera bona inibi gesta, me ista relaturum.* Ego enim nullatenus sum ulla laude aut gloria [1], quin potius omni vituperio ac ignominia dignus. Judas traditor annumeratus erat inter duodecim Apostolos; audiebat, videbat ac faciebat quæ et ceteri, verum reprobatus fuit. Non est æstimanda inchoatio boni, sed perficere bonum honorificum est; ut cum consummaverit homo, tunc incipiat accipere coronam salutiferæ vitæ quam repromisit Deus perseverantibus in bono usque in finem. Satan inter filios Dei affuit, neutiquam laudandus; ego vero prodii ex istis, res in aperto est, sed non eram ex illis. Nam si fuissem ex illis, permansissem utique cum illis bibiturus calicem quem et illi biberunt. Ego Saul inter Prophetas, ego filius Ephrem intendens et mittens arcum, conversus in die belli; abii

* Hic incipit admirabilis D. Mauritii Chauncy confessio.

Act. I, 17.

Jacob. I, 12.

Job, I, 6.

retrorsum in non custodiendo quæ apud me reposita erant.
Tanta sanctitas vigebat inter eos, quod ego non sum di-
gnus vocari aut haberi, et multo minus laudari, quasi unus
ex illis. Si mihi e consortio Sanctorum ejecto, nova aliqua
de eisdem filiis quidem hominum jam referenti, provenire
Isai. XIV, 12. deberet laus, multo præclarior illi Cherub tam pulchre
condito, propter pollutionem suæ sanctificationis in mul-
titudine iniquitatum suarum ejecto de medio lapidum
ignitorum, mira tamen postea de ipso Filio Dei enarranti
quando dixit Domino Jesu : Scimus quis sis, Tu es filius
Luc. IV, 34. Dei, laus tribuenda foret; quod nefarium est opinari. Ina-
nis ac frivola est exultatio (si fidem adhibeam Divo Chry-
sostomo, vel tantillæ experientiæ meæ) cui remurmurat
testimonium conscientiæ. Absit ergo ut vocet me quis
Noemi, sed potius amarum, quia afflixit et amaritudine
replevit me Omnipotens. Egressus sum plenus, et vacuum
Ruth, I, 20, 21. reduxit me Dominus. Sufficiet mihi modo, si ex hoc quod
egero gloria in excelsis ab Angelis Altissimo resonet, et
in terra istis Sanctis veneratio ab hominibus bonæ volun-
tatis impendatur, ac per misericordiam Dei resurgat de-
molita vinea nostræ sanctæ Religionis, et expandat palmi-
Psalm. LXXIX, 12. tes suos a mari usque ad mare et a flumine usque ad
Ibid. LXXI, 8. terminos orbis terrarum, et ut hæc fiant forsan deposco.
Illa tamen non dico, quasi hanc inanis gloriæ mortifica-
tionem accepissem et jam perfectus essem, sed ut linguis
alienæ laudis subtractis, ab igne malæ concupiscentiæ qui
clausus est in ossibus meis facilius expediar, si quo modo

provocem carnem meam ad æmulandum virtutes illorum *Rom.* XI, 17.
de quibus loqui præsumo, ac tandem per gratiam Dei *Ibid.* 24.
eorumque merita meæ olivæ reinserar. Quod mihi largiri digneris et cito perficias, Jesu dulcissime, te deprecor. Amen.



CAPUT PRIMUM

De vita sancta Prioris Londoniensis in conversatione sua privata.

UT autem in hac enarratione convenientius progredi valeam, ab ipso Venerabili Patre præfatæ Domus nostræ Priore, descriptionis exordium sumam. Iste Reverendus Pater, nomine Joannes Houghton, de quo primo nobis sermo, ab honestis parentibus in comitatu Essexiæ, in prædicta Angliæ patria, ortus erat. Qui a parentibus litterarum studio traditus, in eisdem adeo profecit ut gradum Baccalaureatus in utroque Jure digne adeptus sit in Academia Cantabrigensi: quo adepto, eum parentes jam pubertatis annos ingressum, connubio jungere disposuerunt. Quod perspiciens, latenter parentes declinavit, quia dispositus ab eis status conjugalis minus sibi placuit; divinis enim sese dedere statuerat obsequiis. Clam igitur fugiens, latitabat cum quodam devoto Presbytero, quoadusque sacros Ordines gradus sacerdotalis ascendere potuisset; quibus assumptis, ad parentes rediit et

Anno 1487.

Anno 1511.

tandem de omnibus quæ egerat vel invite pacatos reddidit. Sicque in hoc statu sacerdotali per quatuor annos laudabiliter degens, postea ad superiora volare aspirabat, quasi cervus matutinus.*

* Videtur alludere titulo hebræo Psalmi XXI: *Pro cerva matutina.*

Anno 1515, Tynbygh Priore.

Et anno ætatis suæ vigesimo octavo, aridum hunc mundum floridus juvenis calcare cœpit. Quod ut citius cum maxima securitate et accumulatissima utilitate perficere posset, quadam sancta aviditate inflammatus, religiosissimum et suavissimum jugum, ac lenissimæ sarcinæ Cartusianæ observantiam, toto cordis affectu humeris suis mansuetis subire satagebat, flagitans in dicta Domo Salutationis beatissimæ Mariæ, per humiles instantesque preces, hoc sancto habitu nostri Ordinis se indui. Quo cum post diutinam dilationem indutus fuisset, veterem hominem totaliter exuens, vere induit novum hominem qui secundum Deum creatus est, etiam Dominum Jesum Christum. Degebat enim vitam ibi per viginti annos' propense eminentem, in multa austeritate, humilitate et patientia, ac perfecta sui ipsius mortificatione; cellæ et silentii diligentissimus observator, semper occultans et quasi in arctura stringens gratiam sibi concessam ne notaretur; cupiens semper nesciri et nulla æstimatione dignus haberi.

CAPUT SECUNDUM

Ut in Sacristarium Domus Londoniensis fuerit electus.

Quam religiose in omni humilitate vixerit in silentio.

VERUM non potest fieri ut civitas in monte posita abscondatur, vel alicujus domus fenestræ adeo stricte claudantur quin lux inclusa prospicientibus alicubi patescat, juxta versum : Quoque magis tegitur, tectus magis æstuat ignis, sicut et caminus injectis exsilit aquis, et flamma in sublime extollit comas. Quibus omnibus haud impar est innata proprietas et conditio gratiæ et virtutis : quanto enim magis celatur et deprimitur ne propaletur, tanto magis ac citius evolat, ebullit ac crescit; quantoque libentius dilatatur et expanditur ut videatur, tanto celerius obcineratur, evanescit ac deficit. Gloria sequitur fugientem se; quod quidem permaxime verificatur in hoc sancto Patre. Elegit esse
Ps. LXXXIII, 11. abjectus in domo gloriosæ Virginis Matris Dei, et ab hominibus virtuosus ac sanctus habebatur; appetebat sperni, et honor eum persequebatur et apprehendit, si honor dici

tendens in proxima celebratione sua illud sumere. Sed prius, accersito quodam devoto Fratre Converso [1] cui Deus crebro multa certitudinaliter revelaverat (quæcumque enim poposcerat a Deo, statim dedit illi benignissimus Deus responsum, adeo Deo familiaris, gratus et charus erat : notum hoc erat in multis argumentis per totam Domum), huic igitur intimavit Pater Sacrista propositum suum, petens ab eo ut in tam ardua re exoraret Deum pro agnitione sui beneplaciti; formidabat enim comburere illud, et sumere quodammodo abhorrebat. Jussa completurus ille Frater Conversus, divinam enixius deprecatus est Clementiam, quatenus eidem super hac re aliquod indicium demonstrare dignaretur. Et ecce, tempore Matutinarum, in spiritu positus, vidit turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, in albis vestitam, quorum singuli cereum ardentem manu gestabant, composito gradu Sacrarium [2] introire; et ad illum locum ubi repositum fuerat Corpus Jesu procedere, ibique, summa cum reverentia adorantes, cistam qua reclusum erat aperire; factaque ibidem aliquantula mora, disparuerunt. Sed quid interim ibidem egerint, ipsi Fratri qui hæc vidit mansit incognitum. Ad se autem reversus Frater, in aurora requisivit Sacristam, anne in tali loco prædictas sacratissimi Corporis Christi reposuisset reliquias ? Illo ita respondente, mox visum eidem aperuit. Quo audito, devotissimus Pater Sacrista, postposito timore et mortis et nauseæ, mox se cum omni alacritate ad celebrandam Missam præparavit, sub qua et

Insignis Conversi cujusdam pietas et devotio.

Apoc. VII, 9.

CAPUT TERTIUM

Ut idem in Procuratorem et postmodum in Priorem et Visitatorem electus fuerit.

Procurator fit invitus, an. 1527.

EXPLETO igitur laudabiliter, cum omnium Fratrum gratia, in hoc officio Sacristarii quinquennio [1], idem ipse venerabilis Pater Sacrista ad officium Procuratoris [2] assumitur. O quantus eum tunc mœror invasit, quantæ lacrymæ profusæ, quot gemitus pectoris emisit, qualesque corporis defectus eum prostraverunt, qui sic omnino invitus, gratissimæ atque sibi dilectissimæ solitudinis desideratissimique silentii dul-
Gen. xxix, 17. cedinem deserere cogebatur ! Lia cum lippis suis oculis et lurida facie ei non placebat. Prætulit amori subsequentis priorem, quia melius sibi videbatur tunc quam nunc. Solitudo arridebat, ubi dulces susurrationes Dilecti in occulto trahere et audire poterat, amplexusque Rachelis illi erant concupiti, a quibus per sollicitudinem circa plurima se
Cant. viii, 3. avelli trepidabat. Nihilominus, Deo juvante, dextera illius semper amplexata est eum, ac inter ejus brachia mirum

in modum vigilanter dormivit ac quievit. Quocumque enim se vertebat, ubicumque fuit, in tumultu sive in solitudine, in plateis sive in cella, convertebat se ad cor, hauriens pacem : pacem, quia in pace speravit, et ab ea nullis negotiis alienatus, sed totus in Deum intentus sive raptus fuit in omni loco. Certissimum est enim quod relinquens seipsum propter Deum, centuplum accipiet etiam in præsenti.

Is. xxvi, 3.

Matth. xix, 29.

Itaque se gerens per triennium in hoc officio mature, strenue ac pie, amabilemque Deo et hominibus, vacante Prioratu [1] Domus Bellæ vallis, illud onus subire coactus est et portare. Quo eo migrante, et vix per dimidium annum ibi ministrante, ab ea ad ubera matris quæ eum educaverat, et ad suæ professionis Domum revocatus est. Emigraverat enim ex hac vita venerabilis Pater Prior ejusdem Domus Londoniarum, nomine Joannes Batmansonus [2]; ad cujus supplendas vices, iste reverendus Pater uno omnium consensu (quod perraro antea ibidem visum fuerat) assumptus est, ac demum anno secundo* Prioratus sui, a Reverendo Patre Cartusiæ electus est et assignatus in principalem Provinciæ Angliæ Visitatorem [3].

Efficitur Prior cartusiæ Bellæ vallis, an. 1530.

Prior Londoniarum eligitur.

* *1532.*

Sic qui latere et nesciri cupiebat, per divinam Providentiam, ad multorum profectum, notitiam ac lucem est editus. In quarum omnibus oneribus administrationum ipsius gesta non facili possunt explicari sermone, multo vero difficiliori ea quæ intrinsecus latent, cum nemo sciat quid agatur in homine nisi spiritus hominis. Inexhauribilis itaque

est hic fons et torrens inundans gloriæ hujus nostri Patris : sed more annorum meorum, qui puer sum ætate [1],
Jerem. 1, 6. gratia et moribus, nesciens loqui, in amœno jam prato constitutus, hinc inde per diversa discurrens loca, flores pulchriores colligam ex quibus sertum mihi componam, et utinam ad internum animæ meæ ornatum, per redolentem imitationem sanctorum Patrum meorum id fecerim.

CAPUT QUARTUM

De sancto et discreto regimine Prioris in officiis et virtutibus ejusdem.

ISTE venerabilis Pater profundæ fuit humilitatis (quæ omnis principii debet esse finis), socialem diligens vitam cum Fratribus : nam in sua prælatione honores illi non mutabant mores, quia unus atque idem semper mansit; cornua nunquam sibi erexit. Si quis fortuito Dominum eum vocasset, aut aliquam nominis magnificentiam ei imposuisset, ægre tulit, ita ut id statim reprimeret dicens : « Non licet pauperi monacho Cartusiano dilatare fimbrias, aut vocari ab hominibus Rabbi. » Quotiescumque autem Fratres se eidem inclinabant, in magnam suiipsius hoc accepit humiliationem; attamen jubebat eis ut tales inclinationes nullatenus omitterent. « Propter vos, inquit, ita fiat et filios vestros, ne inculta sit terra nostra; Statuta nostra ita hortantur, et sacrum eloquium non solum permittit, verum etiam fieri jubet. » Rogabat eos, ut in hujuscemodi cæremoniis sibi invicem aut alteri exhibitis, non

Quanta ejus humilitas.

Matth. XXIII, 8.

Coloss. III, 22. essent ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis Deum quærerent, præ oculis Deum semper habentes, omnia in ejus nomine facientes. Dicebatque se in quotidianis suis orationibus, Deum postulare quatenus ipsas prærogativas et reverentias ratione sui officii sibi exhibitas, in laudem et gloriam sui sanctissimi Nominis assumere et adscribere dignaretur, suppleretque, per exhibitionem aliorum, defectum amoris et cultus quos ipsemet Ei debebat : sicque semper servare humilitatem contendebat. Cum solus esset in aliena cella cum aliquo Fratrum, non ut Prior sed ut humilis Frater se habebat, dicebatque se reliquisse Prioratum in cella sua ; cum vero in officii sui cella aut alicubi in Conventu esset, se gerebat ut ejus congruebat officio, cum maxima tamen modestia et humilitate. Totus quoque Conventus in tanta reverentia eum habuit, quod in exhibendo ei honorem aut præeminentiam se non posse excedere putabant.

Quanta ejus patientia.

De patientia ejus quid referam ? Ipsa verba injuriosa, exprobratoria et oblocutoria quæ pertulit ab apostatis, sufficerent pro testimonio si recitarentur; sed transeant. Tam patiens fuit, quod uni eorum quodam tempore in eum insurgenti non resisteret, sed provolutus ad pedes ejus, *Thren.* III, 30. dedit maxillam verus solitarius percutienti; saturabatur opprobriis, colaphis et alapis, quoadusque alii eruerunt eum de manu tribulantis. Nec, illo instante, unquam reddidit verba comminatoria aut jurgativa, nec unquam vidit eum homo aliqua passione iracundiæ commotum. Et

belligeratio et palæstra, quin et hominibus secum commorantibus aliquatenus innotuerit. Quicumque enim vidissent eum, vere intelligebant magnam internam colluctationem, non solum adversus carnem et sanguinem, sed et adversus

Ephes. VI, 12.

ipsum principem tenebrarum infernalium se habuisse. In quibus tamen, ne nationem filiorum reprobaret in narran-

Thren. III, 26.

do, salutare Dei semper cum silentio præstolabatur. Nec unquam ulli conquerebatur de pondere et æstu tentatio-

Collige quas tentationes perpessus sit.

num ; tantummodo Fratri, illam cellam inhabitanti cujus ipse primo incola fuit, aliquando dicebat : « O Frater ! si talis et talis locus loqui possent, aliqua tibi indicarent. » Quid plura ? Ad tantam demum, per cooperantem in se divinam gratiam, devenit perfectionem, ut omnium virtutum apices et ornamenta conquireret, atque in eo, velut in lucidissimo speculo et libro scripto intus et foris, resplenderent. Quantæ fuerit devotionis, quotidianæ ejus

Gratia lacrymarum.

attestabantur lacrymæ. Singularem namque gratiam habuit lacrymarum; vix ulla dies præteriit quo maxillæ ejus lacrymis non essent irrigatæ, præcipue sub sacrificio sanctissimæ Missæ. Quandoque etiam in refectorio, tanta amoris divini ac devotionis inebriabatur dulcissima pinguedine, quod ultra se cohibere a fletu non poterat toto coram

Gen. XLV, 1.

Conventu, sed erumpentibus lacrymis surrexit a mensa, festinavitque in cellulam suam, suæ compunctionis et devotionis consciam. Et introiens cubiculum ubertim flevit, eo liberius quo secretius, per totum prandii tempus.

Charitas erga alios.

Charitas in eo supereminebat, quoad Deum et proxi-

mum. Si quando aliquod germen amaritudinis in claustro pullulare timuisset, cito evellere conabatur antequam nimium invalesceret. Non dicebat : Videant illi, compescant seipsos; sed confestim accedebat ad eos, et causa diligenter requisita, suis monitis, modo vino modo oleo mixtis, fremitum infernalis bestiæ et insurgentes motus sedabat. Et si quis contra eum concitatus exstitisset, ob pacem habendam, per humilem suiipsius dejectionem prior veniam petere non erubuit. Et quolibet ferme mense palam in Capitulo, provolutus genibus, stillantibus lacrymis, Conventum rogabat ut omnes suos defectus, negligentias, mala exempla et si qua hujusmodi, sibi ignoscerent, accusans quidem seipsum in multis, cum certe ne in uno quidem ullum offendebat; sed quia Justus in primis accusator est sui, veretur quoque opera omnia sua, sciens quod Deus non parcet delinquenti. Multoties etiam dicebat : « Sustineatis obsecro, piissimi Fratres, modicum quid insipientiæ meæ et supportate me. Confido in Domino me non facere peccatum, humilians meipsum ut vos exaltemini. Insipiens factus sum propter vos, vos me coegistis; ut prudentes vos sitis, ego facio. Capite me, vel ut insipientem accipite me. » O summa humilitas et perfecta charitas, nesciens inflari, nec quæ sua sunt quærere ut alios lucrifaciat ! Quid perfectius hac charitate, et quid sublimius hac humiliatione ? Vere didicit illud divinum : Quanto major es, humilia te in omnibus. Et adimplevit illud Apostoli : Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat ut sit sapiens.

Accedit afflictos et tentatos.

Prov. XVIII, 17.

II. Cor. XI, 1.

Eccli. III, 20.

I. Cor. III, 18.

Quid stultius hominibus quam dejici et humiliari ? Et quid apud homines sapientius et altius quam superbire et ele-

I. Cor. III, 19. vari ? Sed sapientia hujus mundi, stultitia est apud Deum; et quod altum est hominibus, abominatio est ante Deum. Idcirco in insipientia humiliationis gloriari didicit et iste sanctus Pater, factus in omnibus exemplar bonorum operum.

Studet paci subditorum.

Habere et servare pacem et charitatem in claustro summe studuit, et quia intellexit non ex bono esse austeritatem, noluit cum austeritate imperare suis et cum potentia, sed in maxima modestia. Cum juvenibus, sub quatuor aut quinque annorum discursu professis, agebat ipse quasi

Gen. XLII. 7. alter Joseph cum fratribus suis, alienum se eis demonstrando, duriusque loquendo et increpando, ne lenitate abutendo insolescerent. Novitiorum quoque instructores monebat ut vigilarent ubique, ne novellæ plantationes in

Ps. CXLIII, 12. juventute sua in nimiam audaciam excrescerent : multa enim mala experientia docet inde provenisse. Senes vero, ut rigor ille lentesceret quem dedit, non nativitas, sed mala consuetudo, propria voluntas, et suiipsorum immortificatio super delictum vanæ æstimationis ex diurnitate in religione, enixe, blande et leniter tractabat, ut absque fractione inclinarent cervicem suam et paratos se ad omnia facerent. Si quando quivis Fratrum, sive senex sive juvenis, aliquid superfluum aut curiosum expostulasset, cum moderamine et mititate eum frenabat, revocans ad mentem vocationem suam, dicendo : « Si in sæculo esses,

bone Frater, sensualitatis tuæ appetitum in omnibus sequi non deberes, quanto minus et hic in claustro ? Facias tibi aliquam vim adversus tales suggestiones nocivas, ut cum violentis regnum cœlorum acquiras. » Nulli vero cum animositate aliquid negabat, nec etiam faciliter concedebat eis quæ requirebant ; sed cum tali lenitate spiritus et molli responsione se habebat ut aliorum durities emolliretur, et multo hilariores discederent pro repulsione et abnegatione propriæ voluntatis, quam fuissent si eis petitionem eorum concessisset. Spiritus vitæ erat in rotis sermonum ejus. Si quemlibet Fratrum in pronunciatione et prolatione verborum (secundum modernorum vanam fumositatem et adinventionem) curiosum lectorem vel singularem pronunciatorem audisset, serio eum ac durius increpabat, dicens talem curiositatem Cartusianæ simplicitati non convenire. Prodit enim ex superbia ut docti videamur, licet hinc majorem eruditionem non acquiramus neque pietatem. « Idcirco simplicitas, inquit, columbina cum charitate sit, quæso te Frater, nostra summa scientia et doctrina ; vestigiaque Patrum nostrorum in sinceritate coram Deo et Christo ejus insequamur. »

Matth. XI, 12.

Ezech. I, 20.

Circa divina Officia et servitia valde vigilans erat, et ut uniformitas in cæremoniis et omnibus servaretur semper monuit ; et ut protraherent cantum suum in ecclesia, Fratribus creberrime acclamavit dicens : « Huc venimus Deo servire, operi igitur et servitio ejus insistamus. Super muros enim Jerusalem constituti sumus a Deo, judice

Valde vigilans circa ecclesiæ officia et ministeria.

vivorum et mortuorum, custodes; a laude laudabilis Nominis
Is. LXII, 6, 7. sui tota die et nocte in perpetuum non tacituri : idem est nobis officium cum sanctis Angelis qui præveniunt nos ac omnibus psallentibus conjunguntur, et desistentibus nobis continuant illi laudes suas. Faciamus ergo et nos, cum tales socios habeamus, quantum fragilitas nostra permittit, quod et quantum illi; melius non possemus occupari quam cum Deo, nullum exercitium illi gratius et nobis utilius.

Parænesis ad Religiosos ut alacriter divinis insistant laudibus.

Quid agere possumus existentibus nobis in cellis nostris? fortasse omne tempus ab omnibus devote non expenditur. Quapropter non pigeat nos hic commorari. Si nos, qui vivimus de patrimonio Christi et eleemosynis, ac valde stricte pro omnibus orare sumus obligati, festinaremus in Dei servitio aut occasiones discedendi ab ecclesia simularemus, existimantes modicum et breve tempus, quo hic sumus, nimis longum; certe nescio quomodo excusaremus nos ab injusta receptione, retentione et mala expensione eleemosynarum Benefactorum et Fundatorum nostrorum. Quot vestrum aggravat fabulatio cum sæcularibus, aut de vanis et inutilibus rebus, etiam si totum diem in his expenderetis? Vel, quamdiu in talibus perseveraretis absque aliquo tædio, lassitudine seu gravamine? Num de cibo et potu et somno reticebo? Quando in his dicetis : sufficit; aut tempus nimis longum est, festinemus sive perficiamus? Divus Bernardus omne tempus existimavit perditum vel saltem nimis longum, quantumcumque breve, quo caro sua talibus refocillaretur necessariis. Alius quoque Spiritu

Dei plenus oravit, ut de necessitatibus et indigentiis istis corporalibus erueret eum Dominus, ne adeo frequenter impediretur per ea a contemplatione divina. At modernis temporibus Jordanis reversus est retrorsum, cum multi Religiosi magno afficiantur tædio, quando circa vana et externa solatia non versantur, et opus Dei non respiciunt nec opera manuum ejus considerant. Hæc non est monastica vita, Fratres, nec adminiculum spiritualis profectus et ædificationis, ut adipe et pinguedine divina repleatur anima nostra; quinimo crassitudinis ventris, quem Deus destruet, et extremæ desolationis signum est, testante Propheta qui dicit : Quoniam non intellexerunt opera Domini, nec opera manuum ejus considerant; destrues illos, et non ædificabis. Populus enim qui ignorat Deum, sedit comedere, bibere et dormire. Non sicut populus, sic et sacerdos, præcipue Cartusianus, cujus est excellentissimæ et perfectissimæ vitæ iter aggredi, ne adæquetur ei in pœna cui assimilatur in culpa. »

Ps. CXIII, 3.

Ps. XXVII, 5.

Exod. XXXII, 6.

Cohortatur fratres ut sedate cantent in ecclesia.

Per hæc et multa alia similia, incitabat eos prolixe trahere cantum in ecclesia. Etiam aliquando tempore divini Officii, veniebat a sede sua ad Cantores, monens eos ut lentius cantarent. Si audisset eos tepida vel ima voce psallere, dicebat se timere ne amor Dei in cordibus eorum tepesceret; et sicut tepide cantarent, ita et tepide Deum diligerent, mox de ore Dei propter tepiditatem suam evomendi. Rogabatque eos ut non distinguerent dies et tempora, modo basse sive submisse, modo alte cantando. « Sicut, inquit, non est tempus præfinitum a Patre nostro

cœlesti quo ab ejus amore desistamus, quin omni tempore et momento individuo ac omnibus viribus eum amare jubemur; sic non velimus per nos a laude ejus cessare unquam, sed omnis spiritus noster semper laudet Deum; absistat et vecordia, petamus et emamus a Deo aurum
Apoc. III, 18. ignitum, ut sicut Angeli in cœlis nunquam a laude desistunt, ita nobis nunquam tædium subrepat in suo sancto servitio. » Semel etiam ab ecclesia exivit, in confusionem eorum (sicut in proximo retulit Capitulo), quando audivit eos ima voce cantare. Si quando evenisset eos discordare sive errare in cantu, hoc ægre semper tulit.

*Die dominico, in Laudibus.
Ps. CXVII, 16.

Quodam vero tempore*, una pars chori erravit in cantu illius versiculi : Dextera Domini fecit virtutem. Unde in aurora convenientibus nobis ad Capitulum, dixit : « O Fratres charissimi, quid fecimus hac nocte ? Erravimus in psalmodia Dei nostri; clamemus culpas nostras, valde malum est quod nos, qui officium Angelorum exsequimur, talia errata in conspectu Dei et Angelorum committimus. Illi nunquam errant, et nos per nostras negligentias et incurias erravimus ; quod optime facere debemus, negligenter fecimus.
Luc. XVII, 10. Si servi inutiles sumus cum omnia fecerimus, quales sumus ex hoc defectu nostro ? Non fiat hoc amplius inter nos. Si offerat quis Regi terreno claudum, languidum sive maculosum, nonne respuet ? nonne displicebit illi talis oblatio ? Reprobatus erat Cain, non quia non obtulit hostiam Deo in odorem suavitatis, sed quia obtulit de pejoribus.
Gen. IV, 3, 5. Electus erat autem frater ejus, de optimis offerens.



Quid dicerent carnales domini servis suis incaute se habentibus circa ministerium suum ? Illi cum maxima diligentia et pervigili advertentia omnia fieri circa se volunt; nos autem negligentes fuimus in servitio Dei nostri, Regis regum et Domini dominantium. Timeo quod tales exsurgent in judicio contra nos, et illa eorum exquisita opera nos pro nostris incuriis et negligentiis condemnabunt, adstipulante eis illa comminatoria voce et terrifica divina sententia : Maledictus qui facit opus Dei negligenter. Quod avertat a nobis misericors Deus. » Et continuo præcepit eis sub obedientia, ut quemadmodum semper habuerunt lumen per totum cantum Psalmorum in omnibus Nocturnis et Ferialibus Laudibus ex consuetudine, ita et in Dominicalibus ; ac etiam quando aliquid quis solus cantaret, quidquid id esset, lumen haberet.

Apoc. XIX, 16.

Jerem. XLVIII, 10.

Semel in mense concionatur.

Et quia specialis ei cura erat de omnibus, et ratio ab eo exigenda pro singulorum animabus (justus quippe admonendus est ut in bonitate et justitia sua permaneat, impius vero ut a via sua prava revertatur, et tepidus adjicere ut resurgat), ideo semel ad minus quolibet mense ipsemet Conventui suo volebat concionari ; tantaque dulcedine verbi referti erant ejus sermones, quod ubi erat ignis absconditus, inveniebatur crassa aqua quæ discurrebat cum impetu per oculos multorum; qua cum sacrificia eorum essent aspersa, iterum accensus est ignis magnus, major scilicet devotio et novus fervor. Non frustra loquebatur, nam unusquisque vires suas applicuit ad implendum ea quæ

II. Mach. I, 20.

docuit. Ipse quoque quos ferventiores et velociores ad
Ps. CXVIII, 32. currendam viam mandatorum cernebat, hos aliquando pro eorum defectibus durius in Conventu palam arguebat, ob humilitatis præservationem, suam vigilantiorem custodiam et cautelam, ne talia reiterarent, atque ut pigrorum et infirmorum repelleret tarditatem, incalescente fervore juvenum qui ibi scatebat : circiter enim viginti erant in illo Conventu, qui annos triginta octo non attigerant, ve-
Sap. IV, 13. rum in brevi compleverunt tempora multa. Hos non solum verbis et exemplis ad prælium mortificationis incitabat, verum etiam multifarie multisque modis exercebat ad illud : modo auferendo ab eis quæ maxime diligebant, modo negando eis quæ affectuosissime petebant, inclinans ex hoc in illud ut cum hostibus pugnare et tempestive abnegare seipsos discerent. Atque summa cum prudentia uniuscujusque complexionem et dispositionem pensabat. Quando vero aliquem taliter probasset, iterum diluculo visitabat illum ne nimia absorberetur tristitia, idque interdum per seipsum, sed sæpius per alios, ne nimia familiaritas pareret contemptum. Et tunc mittebat eis aliqua xeniola, considerans quod per talia faciliter dormitionem acciperent juveniles mussitationes, ac etiam ut animaret eos ad pro-
I. Cor. XIV, 20. ficiendum in cœpto itinere. Illi vero malitia parvuli erant et cito placabantur, pensantes quod propter eorum propriam salutem et profectum omnia fiebant. Non erat ibi murmuratio nec querimonia, quare hoc aut illud fecerit, aut ita me tractaverit Pater Prior; sed seipsis abnegatis

tegrasset tabernaculum quod ceciderat, ac invenisset locum Deo Jacob. Ipse devotissimus Pater erat quasi flamma urens aut ferrum candens in Dei amore, et eodem modo volebat omnes juxta se positos vehementer esse accensos.

Quanta ejus prudentia.

Fuit denique magnæ prudentiæ, ut ejus gesta in Domo propria ac etiam in aliarum Visitationibus palam annuntiarunt; tam discretus fuit in verbis tamque sanctus in operibus, quod in omni loco acceptus erat ac si fuisset Angelus Dei, mirarenturque omnes de prudentia et responsis ejus. Ipso quoque loquente, omnes ori suo digitum apponebant ac dicebant : Vere servus Dei omnipotentis est iste. Inimici quoque nostri sunt judices : ipse enim Vicarius Regis, quem constituit Rex super familiam et totum regnum suum ut esset secundus a Rege, dominus Thomas Cromwell, alter Aman horum omnium malorum signifer, publice in Capitulo nostro multis coram adstantibus, post necem ipsius Patris nostri, dixit eum virum fuisse justum
Luc. xix, 40.
et sanctum. Si ille reticuisset, lapides clamassent ac ejus sanctitatem denuntiassent.

Omnibus pius erat, sibiipsi vero valde rigidus et durus.

Quomodo servaverit jejunia et abstinentias Ordinis.

Dies abstinentiarum [1], antequam assignatus esset in Procuratorem Domus, servavit semper in pane et aqua. Postea vero, etiam in ipsis Visitationum suarum progressionibus et quocumque perrexerat, propter quotidianos suos discursus et fatigationes, omnia jejunia Ordinis servabat, sicut et ceteri Conventus, cum uno pisce contentus. Diebus abstinentiarum communibus, sicuti moris erat illius Provinciæ;

nisi fortes essent in corpore et in Religionis observantia exercitati. Talibus vero persuadebat corpora sua discrete castigare ; juvenes stricte prohibebat per duos aut tres annos post ingressum in Ordinem ita agere, propter multa nocumenta quæ inde acciderunt.

Descriptio staturæ et morum ipsius.

Regebat omnes summa cum prudentia, et omnibus modis quæsivit bona et pacem plebi suæ. Statura pusillus erat, aspectu elegans, visu verecundus, moribus modestus, eloquio dulcis, corpore castus, ac humilis corde; omnibus amabilis et desiderabilis, suo Conventui gratissimus ac charissimus; omnes reverebantur eum, et non erat qui loqueretur de illo ne unum quidem malum verbum. Et ipse ibat proficiens atque succrescens de die in diem, magis ac magis, et seipso semper robustior efficiebatur ita ut vere ab universis magnus haberetur. Et dicebant eum ob ejus sanctitatem et perfectionem, dignum existere in catalogo Sanctorum annumerari, etiam si solummodo communi genere mortis occubuisset. Quid plura ? O ingrata vox, quid plura ? Multa sane. Si enim linguis hominum loquerer et Angelorum, nihil dignum hujus sancti ac venerabilis Patris nostri virtutibus dicerem. Et quod dixi, minus esse ejus meritis testificor Deum et omnes sanctos Angelos ejus. Sed gemebundo pectore modo pertransiens et dimittens plura referre de eo, non quia desunt, sed quia non possum, sero nimis sub ejus obedientia curvatus [1] et nimis cito orbatus ejus dulci et familiari amicitia, aliqua interseram de

Nota verbum.

CAPUT QUINTUM

De perfectione disciplinæ regularis et sanctæ conversationis a monachis in Domo Londoniensi observatæ.

Pax inter eos et concordia.

QUID referam de ovibus, ubi talis ac tantus præeminebat pastor ? Num aliud exspectandum quam quod vocem pastoris audierint et eum secutæ sint ? Non plane, non : me solo excepto, qui quasi pecus macilentum ac scabiosum de ovili abscissus sum. Si singulorum mores illius Conventus discuterem, deficeret me tempus enarrantem ; sed summatim loquens, dico quod in summa pace conservatus erat locus ille. De lapidibus
III. Reg. VI, 7. enim dolatis atque perfectis ædificatus erat, et malleus atque securis, et omne ferramentum non fuerunt audita in domo illa Domini : tam polita erat quod ego nunquam audivi, nec seniores qui longo tempore ante me ibidem
Ps. CVI, 24. fuerant noverantque opera Domini et mirabilia ejus in profundo, vel unum verbum exprobrationis per totum Conventum (apostatas[1] non numero nec recenseo de Conventu).

Superiora et inferiora invicem adeo jungebantur, clavis charitatis confixa, dum alter alterius onera portaret, quod pax, patientia, longanimitas, pietas et charitas exuberabant in omnibus. Seniores non per ambitum discurrebant nec in plateis, sed in cellis suis sedebant de bonis Religionis tractantes, novam reintegrationem lapsorum, piam reformationem errantium, ac uniformem observantiam per omnes Domos in Provincia conantes inferre. Et juvenes induebant se gloriam et stolas belli, ad mortificandum membra sua super terram. En lectulum Salomonis quadraginta et octo fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios et ad bella peritissimi, uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos : triginta Monachi et octodecim Conversi, — incompletus numerus restat, ut spero, in annum jubilei, — qui fortiter stabant super custodiam suam die ac nocte, in exercitatione victoriæ quilibet suiipsius;[1] jucundum erat cernere dimicationem et fervorem eorum.

Galat. vi, 2.

I. Mach. xiv, 9.

Silentium et solitudo strictissime ibidem servabantur, adeo ut si pater aut propinquus quemquam salutasset in ambitu claustri, eundo aut redeundo ab ecclesia sive in alio loco extra cellam, quamvis licentiam habuisset non respondisset, sed tantum ut ad cellas eorum pergeret, si cum illis loqui voluisset, annuebat. In nullo loco projiciebatur silentium, nec etiam loquebantur ad invicem sine licentia. Ante harum ingurgitationem tempestatum, nunquam exierunt clausuras Domus, nec ipsi quidem Conversi. Per totum

Quanta observantia silentii et solitudinis.

diem, excepto tempore conveniendi in unum et discedendi, videbatur claustrum propemodum quasi nullus inibi habitasset, nisi aliqui sæculares colloquendi gratia fortuitu supervenissent. In visu semper et ubique summe custoditi, cuicumque obviassent in claustro, hominem nunquam aspiciebant, sed inclinantes se illi transibant, nec etiam in ecclesia. Invigilabant autem puritati cordis internæque devotioni, quæ per tales insolentias repelluntur aut præpediuntur; lacrymæ in oculis multorum frequentes erant et pene assiduæ cum quibusdam eorum, propter quarum inundationem, multoties non potuerunt in refectorio nec in ecclesia lectiones legere aut cantum persolvere; etiam aliquorum oculi defecerunt præ lacrymis. Inerat inter eos pia invidia, non quis eorum esset Vicarius aut Procurator (hoc committebant Patri Priori), nec invicem mordebant
Luc. IX, 46. quis illorum esset major in regno cœlorum (hoc Deo relinquebant), sed quis illorum propius attingeret veram mortificationem, fortius abnegaret seipsum, humilius sentiret de seipso, sincerius serviret Deo, ferventius amaret Deum, strictius servaret silentium, cautius custodiret cellam, rarius clamaret culpas in Capitulo, primus veniret ad ecclesiam, libentius ac diutius ibi moraretur; quis virtuosis operibus affectuosius inhæreret, ac magis supererogaret debito, et quis melius observaret Statuta et cæremonias Ordinis. Et hoc gratiæ Dei ac suæ industriæ per Jesum Christum attribuebant; pro quibus perficiendis die ac nocte invigilabant, et alter alterum ad hæc pie animabat et adjuvabat.

Erat ibi cor unum et anima una, sicut reverendus Pater *Act.* IV, 32.
volebat in omnibus, ita ut sæpe Pater diceret : « Onere gravi aggravatis me, Fratres, consentientes mihi in omnibus; non sicut ego volo, sed sicut vos vultis fiat. » Omnia erant eis communia; meum et tuum excludebantur a claustro, ita ut nihil proprium haberetur sive in libris sive quibusvis rebus aliis, sed ad voluntatem et petitionem omnium indifferenter retinebantur quæcumque quis in cella habebat. Curiositas summopere ibi devitabatur, vilitas, parcitas et paupertas intime diligebantur. Quod sane præclaræ et insignis virtutis ac gratiæ erat, nam plerique omnes in illo Conventu, tam Monachi quam Conversi, magnarum opum ac terrenarum possessionum domini fuerant, aut jure hæreditario eis debebantur multa; sed hujusmodi arbitrati sunt ut stercora ut Christum lucrifacere- *Philipp.* III, 8
rent, pauperem vitam gerentes. « Necessarium » non habuit vocem nec locum in Paradiso Dei mei, quia turbat pacem et seditionem facit in omni loco quo venerit. Sub umbra enim necessitatis sensualitas et propria voluntas, quasi leo in spelunca sua, in perditionem animarum *Ps.* X, 9.
requiescunt; ad quas exstirpandas ipsum necessarium trudebatur sub dira custodia Patris Prioris, ut quod ille necessarium diceret, hoc solummodo haberetur; sola necessitas vigebat inter eos. Tantum duplicia de aliqua re necessaria (exceptis libris) habebant, puta : habitum, caligas, tunicas, cilicia et hujusmodi. Non erant potatores nec *I. Timoth.* III, 8.
multo vino dediti. Habebant ex ordine vinum bis tantum

per septimanam, sive festum Capituli veniebat sive non (exceptis tribus principalibus septimanis[1]), et hoc in modica quantitate, dimidiam scilicet pintam vini, et non amplius ullo tempore. Necessitas sola extremi frigoris impellebat aliquos eorum struere ignem, recolentes quanta frigora et nuditates sustinuerunt Sancti Dei qui circuierunt in melotis et pellibus caprinis. Etiam, si Pater Prior dedisset eis licentiam, sua ligna erogabant in eleemosynas pauperum : nihil ibi fiebat sine licentia, nec dare nec recipere aliquid quantumcumque parvum quis audebat; nec etiam bibere aut fructus comedere post refectiones, extrema non urgente necessitate.

Hebr. XI, 37.

Colloquia inter illos cujusmodi.

In colloquiis privatisve conventionibus, otiosum verbum raro quis audiebat, aut de mundanis rebus. Si quis tale quid inconsiderate protulisset, confestim monebatur ab audiente, per quod animus delinquentis corrigebatur. Sæculares recedebant ab eorum cellis, creberrime cum lacrymis dicentes : Vere Deus est in loco isto. Solebant nempe Fratres, in primo adventu ad eos et ad salutationem sæcularium, rogare eos ut nullos rumores nihilque de mundo intimarent eis; sed si quis sermo bonus esset ad ædificationem, illum trutinabant mente, ad imitationem, ut illud, nulla unquam oblivione delendum a posteris, prædecessoris sanctissimi Patris nostri Hugonis episcopi Lincolniensis[2] exemplum sectarentur, qui divertens in quamdam Domum* nostri Ordinis, regressurus in Angliam post ædificationem venerabilium Patrum Domus Majoris Cartusiæ (ut patet in

Gen. XXVIII, 16.

* *Arveriæ, prope Bellicium in Gallia.*

ejus Legenda), interrogatus erat ab uno Fratrum in communi colloquio eorum, de novis quibusdam. Cui respondit sanctus Hugo : « O Pater! rumores audire et referre, etsi licet Episcopis, monachis tamen non licet. Cellas vel claustrum rumores ingredi non debent; urbes deserere et in solitudines rumores afferre non licet. » Hæc sonora vox sonabat in auribus nostrorum Fratrum in tantum quod gravis eis erat accessus sæcularium; etiam si non ingruisset ultima tempestas, talis ingressus tamen sæcularium in claustrum nostrum pro posse impediebatur. Lib. V, cap. XIV.

De reverentia et devotione in Officio divino.

Verum divini Officii prolixitas, dulcedo et modulatio cantus, incitabant animos audientium ad devotionem et copiosam lacrymarum effusionem. Vulgo dicebatur : Si volueritis audire servitia Dei devote celebrata, pergite ad domum cartusiæ. Illuc destinabantur Legati aliarum Nationum, illuc ascendebant tribus, tribus Domini, senes cum junioribus, pusilli et magni, ad confitendum nomini Domini. Vigilia cujuslibet noctis apud eos, a festo Omnium Sanctorum usque ad Pascha, ad minus durabat per quinque horas [1]. Surgebant enim ferialibus diebus hora decima, diebus etiam Capitulorum; festis vero Candelarum [2] ante decimam, perseverantes in ecclesia post secundum pulsum usque post tertiam, aliquando usque ad dimidium post tertiam. A Pascha usque ad festum Omnium Sanctorum, ferialibus diebus, hora undecima. *Ps.* CXXI, 4.

Et ut sine omni sollicitudine essent quietiusque vacarent Deo, intendebant domino Regi supplicare ut omnes terras et possessiones eorum ipse dignaretur accipere, redditurus eis annalem reditum eorum, ita ut illi non implicarentur ullis sæcularibus negotiis. Sed et Statuta cum glossa strenuissime ibidem ab omnibus, nullo iota scienter prætermisso, servabantur. Et ipse venerabilis Pater Prior, cum suo Vicario, insistebat ut secundum glossam Statutorum Conventus dirigeretur in omnibus.

De strenua Statutorum observantia.

CAPUT SEXTUM

De uniformi observantia sacri ordinis et cæremoniarum religiosarum.

QUID dicam de uniformi ordine per totum illum Conventum? Videns Regina Saba, inter cætera, ordines ministrantium Salo- *III. Reg.* x, 5.
moni, non habebat ultra in se spiritum. Certe quicumque vidisset ordines ministrantium in hac domo Domini, inflammatus fuisset spiritu ad serviendum Deo viventi. Non erat nobiscum sicut in diebus Judicum, quando unusquisque faciebat quod sibi *Judic.* xvii, 6.
rectum videbatur; inter nostros enim erat uniformitas morum et cæremoniarum, absque aliqua distinctione et diversitate. Directa quippe erat via et aperte expressa per scripta, ita ut stulti non possent errare per eam. Talis ordo et consonantia decorant Religionem; et ubi non est ordo, certe ibi est ariditas devotionis, continuus horror mentium, et verborum maxima deformitas, et dehonestatio sanctarum Religionum; nulla compassio super contritio- *Amos* vi, 6.

nem Joseph, sed nec ulla cura quomodo Deo serviatur : modo tales inordinati Religiosi comedendo, bibendo et dor-
Jerem. XII, 9. miendo, suo ventri serviant. Avis discolor non sortietur hæreditatem Domini; in Dei sacrificio sub Veteri Lege, ministrantium vestes non texebantur filis diversorum colorum. Psalmista insuper ait : Deus in loco sancto suo,
Ps. LXVII, 7. Deus qui inhabitare facit unius moris in domo. Idcirco Præfecti et Præpositi illius Domus nostræ, diligenter invigilabant ut unus et idem ordo per omnes et in omnibus custodiretur, et cæremonias in nullo præterirent, sed tam stricte eas observarent quasi ipsa Statuta; considerantes quod populo Israeli Dominus pro nulla re magis
II. Esdr. I, 8. iratus erat, quam pro transgressione cæremoniarum. Et qui spernit modica, cæremonias et hujusmodi, paulatim decidet in contemptum majorum. Qui enim in modico iniquus et infidelis est, certe et in majore erit, si permittatur. Ad quæ declinanda, sæpe præconis voce incultatum
IV. Reg. XVII, 13. erat illud auribus nostrorum : Custodite cæremonias meas, dicit Dominus. Et ut omnia fierent decenter, honeste, ad amussim, cum maturitate, gravitate et condecentia morum, ac secundum uniformem gestum et modum sacri Ordinis nostri.

CAPUT SEPTIMUM

De eximia perfectione et simplicitate Fratrum Laicorum, et de singulari sanctitate aliquorum Patrum.

IN grege Laicorum eadem per omnia mandata erant, atque religiosissime observata. Erant enim veri Conversi, nomine et re, totaliter a mundo ad Deum; filii obedientissimi, fratres charissimi, famuli diligentissimi, patres affectuosissimi, sollicitudinem maximam gerentes pro Monachis, et consolationem non modicam eis inferentes in tribulationibus eorum, et amici Dei familiarissimi : quibus quæ audivit a Patre suo adorando, sæpe revelavit Dei Filius. Cum vero essent sancti idiotæ et sine litteris, mira tamen conceperunt de lectis et auditis in ecclesia et refectorio; et sciscitantibus ignitas spiritualis intelligentiæ scintillas eructaverunt. Negotiationem sapientiæ Dei prælibationesque internas frequentabant, exercebant, et cum intellectuali dulcedine gustabant; fervebatque inter eos, sicut inter Monachos, studium rigidæ paupertatis, superfluitatis odium, necessitatis tenuis usus, oblivio

Fratres re et nomine Conversi.

temporalium, concupiscentia desiderii æternorum, communis humilitas, cordis contritio omnibus in commune, suiipsius abjectio et prælatio sociorum. Sancta devotio et fervor spiritus inerant inter eos adeo ut duo eorum, jacentes super terram in tempore orationis, prostrato corpore elevabantur simul cum corpore a terra : nomen unius Rogerus, alterius vero Joannes. In affirmationem hujus aliud non minus stupendum referam, in ædificationem corporis Christi.

Ephes. IV, 12.

De sanctitate mirabili V. P. D. Guillelmi Hiberni.

Fuit in illa Domo nostra Londoniensi quidam venerabilis Pater, sanctitatis inenarrabilis, sexagesimum post professionem suam in nostro Ordine excedens annum ; e quibus triginta annis Prioratum hujus Domus nostræ dignissime administraverat, Guillelmus Tynbygh * nomine, natione Hibernus. Hic, ante habitus et Ordinis susceptionem, ad sanctam civitatem Jerusalem peregrinabatur, ubi et ab Agarenis captus fuit, et perimendus carceri traditus. Sed ipsi in hac angustia constituto, pridie quam occidendus erat, venit in mentem memoria cujusdam imaginis divæ Catharinæ, in capella domus paternæ in patria sua pendentis; ad quam toto cordis affectu conversus, invocabat cum crebris lacrymosis suspiriis præfatam Christi sponsam pro sui liberatione. Et in hac supplicatione diutius persistens, somnum incidit, a quo evigilans, invenit se in illa capella domus paternæ ante prædictam imaginem sedere, Dei omnipotenti virtute (cui nihil impossibile est) per immensa maris et terrarum spatia subito translatum, non

* In 1 editione, *Tynzbi.*

Luc. XVIII, 27.

eminens sanctitas hujus, probata erat ab omnibus sine simulatione. Obiit autem anno Domini 1531.[1]

Angelica eorum conversatio etiam a sæcularibus testata.

Multi alii etiam in illa nostra congregatione, mira dulcedine divini amoris inebriati ac ineffabili sanctitate præditi erant. Sæculares dicebant quod si possibile esset hominibus in terris assimilari Angelis in cœlis, eorumque puritatem aliqualiter attingere, in illa Domo nostra tales esse. Sed et ipse Venerabilis Pater Prior, crebrius dicere solebat sese Angelos sub sua obedientia habere : Ego autem dixi, dii erant, et filii Excelsi. Quoad furtivas disciplinas quas multi eorum susceperunt, et de tentationibus quas pertulerunt, in quibus terribilibus effigiebus diabolus apparuit eis, quas molestias intulit eis quibusque plagis corporis mactavit et cecidit eos, qualisque ludus factus est eis, talia quidem et alia quamplura potius miranda et facilius veneranda quam imitanda omitto scribere, ne non veritatis obtestatio, sed adulationis, inanis jactantiæ aut propriæ laudis obsequium esse putetur.

Ps. LXXXI. 6.

Quam multi per eorum preces in afflictionibus adjuti.

Sed hoc pro veritate sciat omnis domus Israel, quod mirabilis Deus mirabilia multa et magna, circa electos suos in illa Domo existentes, operari dignatus est. Lingua non potest dicere, nec littera exprimere magnalia Dei quæ per eos fecit : quot tentati per eorum preces et sancta consilia alleviati, quot afflicti et mœsti sunt consolati, quot a baratro desperationis sublevati et erepti; nullus inconsolatus recessit ab eorum colloquio, nec aliquis periit qui eorum

sortio Fratrum suorum, cum quibus staret et consisteret in laude Dei; et idcirco electum se esse in officium Judæ, ut cum Juda in fine damnetur, se timere aiebat. Quibus lacrymis illud officium Procuratoris susceperit, quæque media investigavit ut ab illo exoneraretur, noverunt universi illius Domus. Nunquam illo cordialius dolentem et amarius plorantem vidi quemquam, quum, solitudine cellæ relicta, in tumultum sæcularium exiret, injunctum sibi sub obedientia exsecuturus officium; quum de pellicano solitu-
Ps. CI, 7, 8. dinis fieret taurus pinguis aptus ad occidendum, de nycticorace in domicilio corvus devorans in torrentibus, et de passere solitario fieret aquila super domum Domini. Dolor ingens tunc attrivit cor ejus humile, inventam pre-
Matth. XIII, 46. tiosam margaritam verebatur perdere, gustato insuper spiritu dulcique quiete solitudinis, desipiebat caro libertasque servilis.

Similes sui in hoc erant et alii quamplures, qui malue-
Prov. XXI, 9. rant sedere in angulo domatis quam cum muliere litigiosa et in domo communi. Mutuam charitatem illorum, non solum gestus et verba quibus se invicem semper amplexati
Mutua illorum charitas. sunt, sed permaxime ipsa pia sollicitudo (quam unus gerebat pro altero) in omnibus illis malis quibus circumdati erant (præcipue quando cibaria domorum per præpositos Domus ablata erant ab eis), ostendebat. Quomodo compatiebantur singuli singulorum inediæ et fami, quomodo tunc se mutuo consolabantur, quasque adinventiones exploraverunt per quas aliis subvenirent et eorum refocilla-

CAPUT OCTAVUM

De Fratribus reprobis cum bonis sociatis, et eorum terribili punitione.

SED si forte calcitrasset quispiam, novum enim conderet Deus super terram si in tanto Conventu zizania non superseminasset inimicus, et bonis mali non admixti fuissent in exercitationem bonorum (sicut enim ibi erant multi boni, boni valde; ita erant ibi aliqui mali, mali valde); et quemadmodum
Sap. III, 6. piissimus Deus non cessavit illos probare, quasi aurum quod per ignem transit, in bonum ipsorum, per accumulationem meritorum et amplioris gratiæ ut ambularent de virtute in virtutem : ita et istos malos post multas vocationes et diversas correctiones, ad innotescendum quam grave crimen sit post vota retractare, quomodoque displicet sibi stulta et infidelis promissio, quamque maledictus sit qui votum immolat Domino debile vel claudum, quomodoque melius
Eccl. V, 4. esset non vovere quam post vota promissa non reddere. Non habens tandem super quo percuteret eos ultra, adden-

Exempla divinæ ultionis in monachos tepidos.

denotatione et diffamatione Fratrum et hoc apud sæculares, qui tamen nunquam abstulit malum a seipso. Hic post crebras apostasias, quodam tempore cum in carcere clausus fuisset sub custodia etiam unius Fratrum Conversorum ne amplius fugam faceret, adeo terribiliter dæmones quadam nocte eum aggressi sunt et tam dire et horribiliter tractaverunt, quod nisi custos suus, — qui id in spiritu videbat, corporeque nimio terrore concussus dæmones sentiebat ad apostatam introeuntes eumque vexantes, qui insuper audiebat clamores afflicti, — nisi (inquam) iste custos per suas devotas acclamationes et sanctas preces, cito ad eum evigilasset, ipsum penitus strangulassent et necassent, sicut ipsemet apostata postea retulit; qui tamen post multam moram dæmonibus etiam effugatis, vix ad se redire potuit.

Exod. XVI, 3.

Alius quoque Frater fuit, Georgius nomine; huic vehementer aspiranti ad ollas carnium in Ægypto, omnia quæ Ordinis et sanctæ Religionis erant, onerosa videbantur et gravia. Hic quodam tempore Vesperarum attædiatus in divino servitio, exivit ecclesiam secundum consuetudinem, deambulatum in Capitulo. Quod cum ingressus fuisset, imago Crucifixi, quæ pendebat in prospectu introeuntibus, videbatur sibi vertere dorsum in cruce, avertens se totaliter ab eo. Quo viso, ille eodem instanti amens factus est et cecidit in desperationem, et in illo miserabili statu permansit per dimidium annum. Postea vero per preces Fratrum pristinæ redditus fuit sanitati, quam nulla tamen emendatio conversationis comitabatur; nam in tantam ir-

enim copiam bufonum attulit ei, quod cumulati pavime
tum cellæ ejus replerent, reptantes et salientes post eu
quocumque circa cellam suam pergebat. Erant sibi coı
mensales et convivæ in mensa, etiam in ipsum discum suu
prosiliebant ; erant quoque ei contorales et socii in lecı
Si quem in ignem projiceret, statim exsiliebat illæsus;
occidisset eos, alii superveniebant et numerus quotic
augmentabatur, perseverabantque cum eo in cella sua p
integrum mensem, nec ullo modo ab eis liberari potu
Semel autem unum eorum forcipe apprehensum, in ig
torrere voluit, sed tantus fœtor ex eo exalavit ut a cœp
desistere compulsus sit : etiam alii existentes in claustrc
longe, eumdem fœtorem sentiebant. In horto vero sı
permanserunt per spatium trium mensium ; ipsemet Frat
sæpissime hoc idem cum magno dolore cordis enarra
solebat.

Ps. xxviii, 9.

Sic per hæc et multa alia revelavit Deus condensa : nolı
tam sanctum collegium adeo nefariis actibus et enormib
peccatis dehonestari. Propter alios quoque permisit De
istos talia pati, ne in idipsum incredulitatis exemplum

Cur hæc Deus permiserit.

peccatum quis incideret; et propter seipsos, ut ita castig
a talibus, in posterum desisterent stultitiis et nequitiis : q
tamen non sunt reversi, sed irritum fecerunt pactum suu
cum Deo et omnibus suis Sanctis, et habitu Religioı
rejecto, exierunt a nobis per licentiam Domini Regis nost
Sed hæc de hujusmodi dicta sufficiant, et utinam eoru
pœnitentiam insinuare possem et emendationem sicut e

lari anima mea taliter. Bene mihi quidem fecit Deus, merita excedens et vota, non attendens miserias et culpas, nec mihi faciens secundum peccata mea. Sed si in ipsum cœlum raperet, degenerantis animi esset et nimiæ ingratitudinis, imo vero impietatis nequissimæ, oblivisci maternorum viscerum in hac senili ætate quæ me genuerunt. Et quid ago ? Si locutus fuero, non quiescet dolor meus; et si tacuero, non recedet a me. Exemplo idcirco ejus qui cum turbatus
Job, XVI, 7. esset non loquebatur, obmutescam. Veritatem tamen hanc dicam et non mentiar, testimonio mihi perhibente conscientia mea, quod tristitia mihi magna est et intimus dolor super dolorem cordi meo, non solum pro Fratribus meis absentibus qui desiderant diem videre ex die; quibus non-
Id. XL, 19. dum perforatum est foramen in ore Leviathan ut libere transeant hoc mare magnum et spatiosum sine periculo mortis [1]; sed etiam pro aliis, quorum multos ego novi, qui credituri essent per eos et converterentur ad Dominum Deum nostrum, si aliqua Domus nostri Ordinis in illa Provincia reædificaretur; pro meipso autem nihil, nisi in infirmitatibus meis spiritualibus. A quibus ut allevier per
III. Reg. I, 2. Dei misericordiam, hanc Sunamitem cum amore et gratiarum actione quibus possum (non quibus vellem et debeo) amplectar, in spe quod participet mecum de bonis suis, et
Gen. XXIV, 67. temperet dolorem qui ex morte matris meæ accidit, ac incalescente suo tactu refoveat carnem frigidatam præ inveteratione in diebus malis, quando fodiebatur peccatori
Ps. XCIII, 13. fovea; firmissime sciens, quod hic et in omni tribu Israel

CAPUT NONUM

De prodigiis ante martyrium Fratrum visis et de præparatione eorum ad mortem : primo propter secundas nuptias Regis, et tandem finaliter propter schisma.

Signa quædam eos terrent.

CONTIGIT autem anno Domini 1533, procellosam hanc tempestatem præcedente, cometen videri in aere extendentem radios suos plane et aperte usque ad Domum nostram. Totus Conventus, regrediens quadam nocte a Matutinis, cernebat ac intuebatur radios provenientes ab illa stella coruscare ac scintillare per quamdam altam arborem in cœmeterio nostro, et transfundere se, et transverberare super ecclesiam nostram et illum locum ubi campanæ pendebant. Quod quidem inauditum est et invisum a retro sæculis. Eodem quoque anno, Venerabilis Pater Prior noster quadam nocte post secundum Nocturnum egrediebatur ecclesiam; qui intrans in cœmeterium, videbat in aere globum sanguineum miræ magnitudinis. Ad cujus aspectum expavit cor ejus, et præ timore cecidit super terram.



quædam illicita in regno suo peragenda instigare. Super quibus consensum omnium sibi subditorum, a sedecim annorum ætate et supra, tam Religiosorum quam sæcularium extorquere volebat. Quorum malorum caput sive principium hoc erat, ut omnes secundis suis nuptiis, priore Regina et conjuge sua licet superstite, consentirent easque ratas et licitas esse affirmarent. Cumque Commissarii ad hoc negotium delegati, hoc edictum Regis exsequi egrederentur, et ad sanctum Patrem nostrum devenissent quatenus ipse et suus Conventus Regiæ jussioni et ordinationi

Prudentissimum Beati Joannis responsum.

præberent consensum, respondit Pater « suæ vocationis non esse, nec se seu quemquam suorum, regiis negotiis ingerere posse aut debere; neque sua interesse quam velit Rex repudiare quamve accipere uxorem, dummodo a se suisque nihil de hujusmodi rebus exegerit. » Sed hoc responso non contenti, voluerunt ut sine aliqua interpolatione, Conventu suo congregato, sub præstito juramento illicitas esse priores nuptias affirmarent, hisque secundis et proli subter eas editæ præberent animum et obedientiam. Venerabili tunc Patre nostro respondente, se non posse capere quo pacto priores nuptiæ secundum ritum Ecclesiæ celebratæ et tam diu observatæ irritarentur, jussus est mox

Conjicitur in carcerem cum B. Humphrido.

recludi in carcere Turris Londoniensis cum Patre Humphrido, Procuratore Domus nostræ, ubi per unum mensem detenti fuerunt. Postea vero persuasum est eis per quosdam probos et doctos viros, illam non esse licitam causam mortis infligendæ; quibus auditis, *sub conditione,* regiæ annue-

est salus. Præparavit enim Deus vermem in ascensu diluculi, qui percussit hederam et exaruit, nullo vestigio prioris fœderis initi remanente; vexatioque dedit nobis intellectum de prædicta revelatione sancti Patris nostri. Et tunc vere experti sumus quod Propheta fuerat in medio nostri.

Jon. IV, 7.

In principio enim anni Domini 1535 diffinitum fuit per Regem Angliæ, et in celebri actu Parlamenti sui institutum, ut omnes auctoritatem et obedientiam quam debebant Domino Papæ et cuiquam alio Superiori in aliis regnis abrenuntiarent, et ipsum Regem ut supremum caput Ecclesiæ, tam in spiritualibus quam temporalibus, sub juramenti attestatione susciperent; contradicentes vero, tanquam rei læsæ majestatis haberentur, et æquali morte plecterentur. Quod cum per totum regnum promulgatum fuisset, Venerabilis Pater Prior noster convocavit Capitulum, atque quæ imminebant Conventui indicavit.

Schisma ab unitate Ecclesiæ.

Quibus auditis, consternati erant animo valde. Tunc dixit Pater : « Tristitia mihi magna est, et cordi ingens dolor præ ceteris, pro Fratribus meis juvenculis qui abundant in isto Conventu. Videtis enim, Fratres, quam multi sunt hic juvenes innocenter modo viventes, quorum cervicibus jugum oneris et sceptrum exactoris nunquam impositum fuit; qui cum semel commixti fuerint inter gentes, timendum est ne discant opera eorum, et cum cœperint spiritu nunc carne consummentur; corrumpunt enim bonos mores colloquia mala; cum perverso conversantes,

Is. IX, 4.

cito pervertentur. Et difficile est tangere picem, id est mundum, absque inquinamento carnis et spiritus, ac transire per ignem, illæsum. Alii etiam sunt ex nobis, a quorum fortassis cordibus luxuria penitus abscissa non est; de quorum periculo non minime metuimus, cum reincœperint per conversationem mundanis rursus involvi. Quid dicam ergo, Fratres, vel quid faciam, dum nil boni perferam de his quos dedit mihi Deus, ante judicium æternum ? »

Et fletus magnus inter eos erat. Tunc dixerunt omnes constanti animo et una voce : « Moriamur omnes in simplicitate nostra, et testes erunt super nos cœlum et terra quod injuste perditi sumus de terra. » *I. Mach.* II, 37.

B. Joannes hortatur Fratres ut constanter mortem obeant.

Respondit mœstus Pater : « Utinam ita fiat, quod una mors reddat vivos, quos una vita tenuit mortuos; sed nec tantum bonum nobis, tantumque malum sibiipsis illaturos eos credo. Ex nobili prosapia multi vestrum estis, sed hoc potius (ut reor) facient : vos seniores et me in mortem tradent, hosque juvenes dimittent avolare liberos in terram non suam. Idcirco si solummodo pro meo consensu negotium fuerit, exponam me misericordiæ Dei, et ero anathema pro his fratribus meis minimis, ac consentiam regiæ voluntati, *si licite fieri possit,* ut præservem istos a tot et tantis periculis futuris. Si aliter decreverint fieri ut omnes consentiant*, et si mors unius (ne tota gens pereat) non proderit, fiat voluntas Dei, et utinam fiat par sacrificium de omnibus. » *Rom.* IX, 3.

* *Scilicet* sine conditione.

O quomodo coarctabat spiritum hujus sanctissimi Viri,

hinc charitas Dei nolens offendere eum, illinc periculum aliorum a quo eos præservare cupiebat, sed quid eligeret ignorabat [1]; prævaluit tamen charitas Dei [2], memorans
Luc. IX, 25. ejusdem sententiam : Quid proficit homo, si lucretur universum mundum, seipsum vero perdat et detrimentum sui faciat ? Qui me erubuerit et sermones meos, etc. Vel illud :
Matth. X, 37. Qui aliquid amat plus quam me, non est me dignus.

Nihilominus iste sanctus Pater noster ita angustiatus in hac conventione nostra, dixit insuper nobis : « Ignorantibus nobis, Fratres, quid eveniet, ne imparati inveniamur quando Dominus pulsaverit januam, disponamus nos ac si statim morituri simus; jacula enim prævisa minus feriunt. »

Animum præparant per generalem confessionem.

Tunc suasit eis præparare corda sua Deo per generalem confessionem, deditque licentiam ut unusquisque confessorem quemcumque voluerat in claustro sibi eligeret, et omnibus dedit auctoritatem plenariæ absolutionis. « Et
Jacob. III, 2. hoc facto, sequenti die, inquit, quia in multis offendimus omnes et unusquisque debitorem habet fratrem suum, et
I. Cor. XIII, 1. etiam quia sine charitate nec mors nec vita aliquid proderit, invicem reconciliabimur; et tertia die, Missam de Spiritu Sancto celebrabimus pro gratia illius impetranda, qua valeamus voluntatem et beneplacitum ejus adimplere. »

Igitur cum prima dies transisset, Patris nostri saluberrimo consilio adimpleto, et dies reconciliationis advenisset, præmisso Pater noster diutino et devotissimo sermone de charitate, patientia ac firma adhæsione post Deum in ad-
Ps. LIX. versis, tractando illos quinque primos versus Psalmi : Deus

repulisti nos et destruxisti nos...., ita finiendo et concludendo sermonem suum : Melius est nos hic pro culpa brevem suscipere pœnam, quam æternis servari cruciatibus. Tunc dixit : « Charissimi Patres et Fratres, quod videritis me facere, facite obsecro et vos. » Statimque surgens perrexit ad seniorem Domus juxta se sedentem [1], ac genua flectens coram eo, humiliter petiit veniam et indulgentiam pro omnibus suis excessibus et peccatis, contra eum aliqualiter commissis corde, ore, vel opere. Et eodem modo, alter se habuit ad eum, petens veniam pro suis. Et sic procedens Pater per chorum suum primo, deinde in altero choro, eadem petiit ab unoquoque sigillatim per se, donec veniret ad ultimum Conversum, amarissime plorans super singulos. Et similiter omnes sequebantur eum alternatim, singuli petentes a singulis veniam. O quantus ibi luctus, quantæ profusæ lacrymæ ! Vere vox in Rama audita tunc erat, ploratus et ululatus multus; Rachel plorans filios suos inconsolabiliter et irremediabilibus lacrymis, prævidens mala eis imminentia. Ab hoc die, qui vultum sancti Patris nostri intuitus fuisset (qui quidem antea ob qualemcumque eventum in diversa nunquam mutabatur), scivisset utique quæ et qualis plaga modo tetigerat cor ejus. Facies enim et color immutatus, declarabat internum animi dolorem. Circumfusa erat viro interna quædam mœstitia, et horror corporis, per quem manifestus aspicientibus dolor cordis ejus efficiebatur.

Publica reconciliatio.

Gen. XLV, 15.

Jerem. XXXI, 15.

II. Mach. III, 16-17.

Tertia vero adveniente die, qua Missa de Spiritu Sancto

in Conventu celebranda erat, ipsemet devotus Pater Prior præparavit se ad illam persolvendam. In cujus tempore Missæ, dignatus est omnipotens et misericors Deus mira et ineffabilia operari. *Tob.* XII, 7. Sacramentum Regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare et confiteri honorificum est; manifestabo ergo veritatem, et non abscondam a vobis occultum sermonem. In illa conventuali Missa, sanctissima elevatione peracta, sibilus quidam auræ tenuis, exterius paululum sonans, interius vero multum operans, a pluribus percipitur et auditur auribus corporis, et ab omnibus sentitur et hauritur auribus cordis. Cujus dulci modulatione et sono venerabilis Pater Prior tactus, in tantam est divinæ illustrationis copiam et lacrymarum abundantiam resolutus, quod per longam moram in officio Missæ procedere nequibat. Conventus quoque stabat stupefactus, audiens quidem vocem ac sentiens miram et suavem operationem in corde, nesciens tamen unde veniat aut quo vadat. *Joan.* III, 8. Verum impleta gaudebant viscera illo sanctissimo flatu, et bene perceperunt quod vere Deus illic esset; qui etiam secreta sua denudabat aliquibus, dividens cuiquam prout volebat. *Num.* XI, 25-26. Et quemadmodum legitur in Numerorum Libro (ubi describitur distributio Spiritus in septuaginta) quod requievisset Spiritus etiam super alios duos qui remanserunt in castris et non exierant in tabernaculum, ita modo apud nostros accidit; gratiam administratam et effusam in tempore hujus Missæ, participaverunt etiam Fratres Conversi, existentes in capellis prope chorum adjacen-

Cantatur sacrum de Spiritu Sancto pro felici rei auspicio.

tibus, mira suavitate, tempore quo et Monachi. De hac sanctissima Missa, pius Pater noster mentionem fecit in proxima conventione Fratrum, cum multa gratiarum actione et devota admonitione ut in gratia Dei permanerent, per instantes orationes, et sanctam conversationem in humilitate radicatam, et filialem timorem. Subjunxitque : « Non propter me, sed propter vestram sanctitatem hæc operatus est Deus. » Illic erat pia lis et concertatio, quis humilius sentiret de seipso. Pater attribuebat omnia devotioni filiorum, filii vero omnia sanctitati et meritis Patris.

Quanta autem in hac congregatione post hanc diem fuerit instantia precum, non est meæ possibilitatis enarrare; quomodo etiam perseverabant unanimiter in orationibus die ac nocte, et quomodo prosternebant se ante summum altare post Matutinas, postulantes auxilium de sancto, ut dignaretur Deus tueri eos. O quoties replicavit Pater Prior illam orationem David : Ego sum qui peccavi, ego qui inique egi; istæ oves quid fecerunt? Vertatur obsecro manus tua in me, et in domum patris mei. Et illud : Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi. Taceo de multis aliis lugubribus conventionibus et actionibus quæ ibi gestæ fuerunt.

Act. I, 14.

II. Reg. XXIV, 17.

Joann. XVII, 11.

Interea, dum hæc ita se haberent, opponente se fortiter Patre murum pro domo Israel, et stante ex adverso pro omnibus sibi commissis, et nec minis nec blanditiis cedente, sed præstolante adventum Consiliariorum domini Regis, qui edictum ejus exsequerentur, Reverendus Pater Robertus

Laurence, Prior Domus Bellæ vallis, nostræ tamen Domus professus, ad Londonias accessit visitandi gratia si cuncta prospera essent erga patrem nostrum et pecora sua; erat enim vir plane religiosus et pietate plenus. Et infra biduum contigit et Reverendum Patrem Augustinum Webster, professum Domus de Sheen *, gerentem prioratum Domus Visitationis Beatissimæ Mariæ, pro negotiis Domus suæ ad civitatem Londoniarum etiam advenire : qui divertentes ad Domum nostram, audierunt in quibus malis et periculis constituti eramus, et quo furore exarsit in nos dominus Rex. Intimatum enim erat ei quod Prior cum Conventu illius Domus præparabat se ad resistendum; propter quod nimio furore agitabatur.

Gen. xxxvii, 14.

* *In 1ª edit.* Schene.

jussit. Ad quos, cum per unam septimanam ibi detenti fuissent, ipse cum multis aliis ex Consiliariis Regis devenit, propositurus eis decretum Parlamenti quod fuit : Ut auctoritati domini Papæ abrenuntiarent, ipsumque false, violenter ac extorte usurpasse suam primariam potestatem faterentur; et omnes alias externas potestates, jurisdictiones et obedientias abnegarent, cuicumque etiam personæ vel ordini debitæ essent aut promissæ; soli Regi suisque obtemperarent, et ipsum Regem supremum caput Ecclesiæ, tam in spiritualibus quam temporalibus, acceptarent, crederent, et affirmarent. Cumque respondissent Patres nostri se consensuros omnibus quæ et in quantum lex divina permiserit, subjunxit ille : « Nullam exceptionem admittam, sive lex divina permiserit sive non[1]; hoc integre, plenarie, sinceriter in corde, et cum juramento publico in ore affirmabitis, et firmiter tenebitis. » Replicaverunt nostri beatissimi Patres, Ecclesiam Catholicam aliter semper tenuisse ac docuisse. Respondit ille : « Non curo Ecclesiam; vultis consentire an non ? » Dixerunt illi, sese propter timorem Dei non ausos esse contraire ac deserere Ecclesiam Catholicam, pro eo quod divus Augustinus dicit se noluisse credere Evangelio Christi, nisi quia sancta Orthodoxa Ecclesia ita eum instruxit ac docuit. Tunc jussi sunt iterum recludi in carcere.

Recusant Henricum VIII agnoscere pro capite Ecclesiæ anglicanæ.

Die autem ad hoc destinato producti sunt ad tribunal, ubi cum super hoc negotio denuo fuissent requisiti, penitus contradixerunt dicentes se nullo pacto Legi Dei, do-

data est a judicibus sententia mortis super Patres nostros, ejus scilicet quæ in reos criminis læsæ majestatis dari consuevit [1]. Et sic denuo in carcerem detrudi jussi sunt, ubi et manserunt diebus quinque per quos multas molestias passi sunt; illisque stantibus in magna constantia adversus eos qui ipsos deprimebant, mandatum fuit ut ad mortem educerentur. Supplicium sive modus mortis (si modus dici possit, ubi supra omnem humanum modum sæva crudelitas et crudelis tyrannis exaggerabatur) talis fuit:

Sap. v, 1.

Supplicium quale et quam crudele.

Educti de carcere, statim dejecti erant super vimicillum, vulgariter *a hyrdle* [2] dictum, et resupini huic alligati fuerunt, toto corpore extenso in longum. Et sic super hoc accubantes, retro ad calces equorum per totam civitatem trahebantur, quousque devenerunt ad locum *Tyburn* [3], ubi omnes scelerati plecti consueverunt; qui locus distabat ab illo carcere una leuca vel milliari gallico. Quot gravamina quantosque cruciatus per totam viam illam pertulerunt, quando, modo per turgida et aspera loca iter haberent, modo per aquosa et lutosa, quæ in via admodum abundabant, trajicerentur, quis enarrare sufficiat? Sicque perductis illis ad locum determinatum, sanctus Pater noster primus solvebatur. Tunc spiculator genu flexit (ut moris est illius patriæ) ante eum, petens sibi indulgeri opus illud crudele in eum exercendum. O bone Jesu! quis non fleret, Christi servum si videret in tanto supplicio? Quis posset non contristari, tam sancti viri benignitatem contemplando, quam benigne et modeste allocutus fuerit suum interem-

Martyrium beati Joannis Houghton.

ptorem, quam dulciter amplexatus et osculatus, et pro eo et ceteris adstantibus quam pie rogaverit? Deinde jussus est scalam ascendere ad patibulum ubi suspendendus erat; qui mitissime obtemperans, ascendit.

Osculatur carnificem.

Tunc unus ex Consiliariis domini Regis, qui ibi stabant cum multis millibus hominum ad tale spectaculum concurrentium, petiit ab eo si annuere vellet regiæ jussioni et decreto Parlamenti; si vellet, venia sibi daretur. Respondit constans Martyr Christi : « Testem invoco omnipotentem Deum, et vos omnes obsecro idem pro me in terribili die judicii attestari, quod hic moriturus, publice profiteor me hanc inobedientiam et renitentiam contra domini nostri Regis voluntatem, non ex aliqua pertinacia, malitia, sive animo rebellionis committere, sed solummodo ob timorem Dei, ne ejus Majestatem offendam supernam; eo quod sancta nostra mater Ecclesia aliter decrevit et statuit quam ipse Rex vester cum suo Parlamento ordinavit; per quod obligatus sum in conscientia mea, etiam paratus et non turbatus, hæc, et omnia quæ possunt infligi tormenta, pati potius quam Ecclesiæ doctrinæ adversari. Orate pro me, et misereamini Fratrum meorum quorum Prior fui indignus. »

Oblatam veniam recusat.

Facti sui rationem reddit.

Et his dictis, inducias petiit a lictore donec finisset orationem suam quæ erat : *In te Domine, speravi*, usque : *In manus tuas,* inclusive. Qua dicta, et signo dato, eversa est scala, et sic suspensus erat. Et mox unus adstantium, antequam sancta ejus anima exiret a corpore, abscidit funem,

Ps. xxx, 2-6.

Suspenditur sed non omnino strangulatur.

sicque decidens in terram, paululum palpitare et respirare cœpit.

Tunc in alium locum adjacentem tractus fuit, ubi vestibus omnibus violentissime extractis, nudus super prædictum vimicillum sive traheam rursus distenditur; in quem mox cruentus lictor nefarias suas manus misit. Primo ejus verenda abscidit, deinde ventrem ejus dirupit et viscera universa, cor quoque et omnia interiora sua evulsit ac projecit in ignem; ipso interim beatissimo Patre nostro, non solum non rugiente clamoribus præ intolerabili illo dolore, verum etiam e contra per hoc totum tempus, donec cor ejus erutum erat, continue orante et supra humanum modum patientissime, mansuetissime et tranquillissime se habente : ita ut mirarentur non solum Præsides, verum etiam omnis plebs quæ videbat. Et in ultimo spiritu constitutus ac pene evisceratus, dulcissima voce clamabat : « Piissime Domine Jesu! miserere mei in hac hora. » Et (ut fide digni viri affirmaverunt) tortori dixit, in ipsa evulsione cordis sui : « Bone Jesu! quid facies cum corde meo[1] ? » Et hæc dicens, spiritum exhalavit. Postremo caput ejus abscissum erat, ac truncatum corpus in quatuor partes divisum.

Vivus evisceratur.

Ultimæ voces quas edidit.

Apoc. II, 10.

Hoc modo iste sanctus filius vester, fidelis inventus est usque ad mortem, Reverende Pater. Migravit autem ex hoc mundo ad Dominum, quarto die Maii, anno Domini 1535, ætatis suæ quadragesimo octavo, Prioratus vero sui quinto[2]; tanquam pastor bonus qui animam suam posuit

Joann. x, 11.



Tres Sacerdotes, unus Diaconus et sex Conversi, cum in verba Regis jurare recusarent, in carcere retruduntur ibique inedia simul ac squalore et loci fœtore moriuntur.

In Majori Cartusia.

non solum pro ovibus suis, sed et pro justitia et fide Domini nostri Jesu Christi.

Isto sancto Patre ita occiso, alii duo prænominati Venerabiles Patres, Robertus et Augustinus, cum quodam religioso viro, nomine Reginaldo[1], Ordinis Sanctæ Brigittæ, eodem crudelissimo genere mortis ipso instanti successive vexati, vita hac fuerunt privati; quorum omnia morticina caldariis sunt injecta et aliquantulum lixa, et sic demum per diversa loca civitatis suspensa. Et unum brachium Patris nostri ad portam Domus nostræ suspendebatur : quod quidem brachium pendebat ibi usque post duos dies transmigrationis nostræ in Babylon[illegible]n. Tertio autem die contigit duos ex Nostris per illam portam transire : unum recedendo a Domo nostra, et alterum accedendo. Et dum per eventum obviationis mutuæ consisterent sermocinando, illud sanctissimum brachium decidit ad terram, nullo alio vidente, quod valde raro inibi visum est propter frequentationem viatorum. Idcirco quasi pro miraculo illud nos suscepimus, et in loculo posuimus cum sanguinolento cilicio sive indusio ejusdem Patris nostri, in [illegible]o martyrizatus fuit, et cum causa ipsius morti[illegible]r manus sancti Guillelmi Exmew, quam ille [illegible] sisset [illegible]verendum Patrem præsidentem in Domo v[illegible]stra*, si [illegible] comes fuisset. Loculum autem reconditum i[illegible]rraneo loco reposuimus, donec congreget Deus c[illegible]tic[illegible]puli sui et propitius fiat. Hoc genus mort[illegible] eos subiisse palam est, hancque esse causa[illegible] necis eorum

Martyrium duorum aliorum Priorum.

Brachium B. Joannis honorifice conditum.

*Domus Majoris Cartusiæ.

Vera causa mortis Beatorum Martyrum.

et non aliam, non solum testantur actus et statuta Parlamenti, verum etiam ipse sanctus Pater noster. Postquam enim sententia mortis subeundæ in eum data fuit, omnia interrogata et responsa sua in hoc negotio scripsit propria manu in pugillari; quem pugillarem misit ad patrem Guillelmum jam dictum, Procuratorem Domus nostræ, qui mihi misero dedit eumdem, quem et ego postmodum cuidam Hispano viro probo et devoto, nomine Petro Bardin *, contuli : qui mihi promisit, eumdem pugillarem cum portiuncula indusii [1] sancti Patris nostri, Sanctissimo domino Papæ, aut Reverendo Patri tunc præsidenti in Domo vestra se missurum. Hæc idcirco retuli, quia aliqui mediocris censuræ dicunt sanctum Patrem nostrum cum Fratribus suis conspirasse in mortem domini Regis, et ideo ultionis justæ subiisse sententiam, quod penitus falsum est. Et quid egemus testibus ? Nos ipsi, qui vivimus, qui relinquimur, audivimus ex ore ipsius domini Cromwel causam; et opposuit nobis eamdem quoties ad nos venit, sub eadem forma et cum eisdem verbis : « Sinceriter, integre et sine aliqua simulatione, jurejurando abnegabitis auctoritatem Papæ et omnium Superiorum vestrorum »; sicut supra recitavi [2].

* Bardin *vel forsitan* Bardui.

Notandum.

CAPUT UNDECIMUM

De trium aliorum Patrum trucidatione et residuorum afflictione continua.

HIS Sanctis ita trucidatis, ob hanc quoque causam, infra tres sequentes hebdomadas, quidam infimæ conditionis homines et nullo nomine digni, ad præfatum domini Regis Vicarium accesserunt, postulantes ab eo auctoritatem plures Cartusienses illudendi et affligendi. Qua libenter concessa, concito ad nos venerunt gradu, ac tres alios venerabiles Patres (qui capita remanserant) rapuere, scilicet Patrem Humphridum Middlemore tunc Vicarium existentem, et antea Procuratorem Domus, Patrem Guillelmum Exmew, remotum a Vicariatu Procuratorem factum, et Patrem Sebastianum Newdigate sacerdotem et monachum ejusdem nostræ Domus : hos tres illi immisericordes duxerunt ignominiose ad fœtidissimum carcerem, ubi illos per duas integras hebdomadas catenis ferreis circa colla et crura injectis constrinxerunt, et alligaverunt eos durissime, cum maxima

Alii tres in carcerem conjiciuntur.

crudelitate, erectos ad postes et columnas domus, absque ullo relevamine vel solutione pro quacumque necessitate facienda. Illis hebdomadibus transactis, præsentati erant concilio seorsum, ubi interrogati fuerunt de eodem articulo ob quem pius Pater noster antea peremptus fuerat; et eodem modo eis proponebatur quo et Patri. Cumque se nolle decretis et consuetudini sanctæ matris Ecclesiæ contraire constantissime profiterentur, eisdem supplicio, tormento et morti adjudicati sunt; et eadem infra decem dies passi sunt, quæ et Pater.

Producuntur in concilium.

Morti adjudicantur.

Hi tres, juvenes erant ætate, senili tamen animo, gratia et virtutibus pleni præclaræque prosapiæ, et tertius eorum, Pater Sebastianus, fuerat enutritus in domo domini Regis; omnes apprime docti et magnæ constantiæ, audacter allegantes de Scripturis Sanctis ante tribunal Judicum, quod Rex non potuit sibi vendicare ex debito et auctoritate Juris divini, illam supremitatem et primatum Ecclesiæ quam Papæ et sacerdotibus tribuit Jesus Christus Dominus noster. Iveruntque ad mortem quasi ad epulas, suscipientes eam cum maxima mansuetudine et patientia cordis, alacritate corporis et hilaritate vultus, spe vitæ æternæ, anno Domini 1535, die XIX Junii.

Matth. XVI, 18.

A morte istorum sanctorum Fratrum nostrorum, duo fluxerunt anni priusquam plures incarcerarentur, non tamen sine ingenti nostra tribulatione; jam enim advenerat tempus quale non fuerat a diebus antiquis. Antea alii pugnaverunt pro nobis, et nos siluimus : modo vero extrema

necessitas compulit unumquemque pro se rationem red-
dere et super custodiam suiipsius stare, omnibus aliis
adjutoribus interdictis et a nobis exclusis. Nam non deerat
certamen nobis, ne una quidem hora per quatuor continuos
annos præteritos[1], qua a tribulationibus liberi esse potuis-
semus; aut foris erant apertæ pugnæ, aut intus timores *II. Cor.* VII, 5.
præ exspectatione superventuræ tribulationis. Mors deside- *Apoc.* IX, 6.
rabatur sed fugiebat a nobis, nam tædio nos superare
nitebantur. Præpositi regimini Domus, a captione sancti
Vicarii et suorum sociorum, erant duo sæculares qui sæcu-
lariter, secundarie et nimium inhumane tractaverunt Con-
ventum. Pascebant semetipsos satis delicate, sed Conven-
tum fame et siti paverunt. Auferebant enim cibaria ab eis,
constituentes eis parum casei aut modicum quid tale pro
alimonia qualibet die; introduxerunt quoque non Hebræos
sed ebrios, non a vino sed a malitia, qui illuderent et cola-
phis cœderent nos ubicumque potuerunt apprehendere;
subintroierunt et alii, exploraturi libertatem nostram.
Habuimus tamen tantam fiduciam et audaciam, quod ausi
fuimus Scripturis et rationibus dimicare contra talem Re-
gem. Cumque reperissent quod fons, qui influebat aquæ- *Judith* VII, 6.
ductum nostrum (constantiam dico et fortitudinem illorum
qui non ceciderunt), a parte australi extra civitatem diri-
geretur in nos (nam per gladium spiritus, quod est verbum *Ephes.* VI, 17.
Dei et testimonium authenticorum Doctorum, defende-
bant se viriliter Fratres, parati semper ad satisfactionem
omni poscenti eos rationem de ea quæ erat in eis, fide et

spe), hunc aquæductum, bellantes in nos, inciderunt. Abstulerunt enim a nobis libros quos habuimus in cellis nostris, ut per hoc inermes et aridi a siti efficeremur. Erant tamen non longe a muris fontes Salvatoris, ex quibus furtim hauriebatur in gaudio aqua salutaris Sapientiæ salientis in vitam æternam, cui non potuerunt contradicere nec ipsam tollere omnes adversarii nostri. Et, quod omittendum non est, quamvis aliqui nostrum ita se munierunt clypeo doctrinæ, plerisque tamen illorum plus contulerunt, et acutius ac intimius transgladiaverunt corda adversariorum nostrorum sancta innocentia et simplicitas, quibus armati terminos quos posuerunt Patres nostri noluerunt transgredi, sed ut sancta Mater Ecclesia eos docuit, hoc firmiter se tenere semper decreverunt et ore confessi sunt.

Libris privantur.

Judith VII, 7.

Ps. CIII, 9.

Insuper, præter omnia prædicta mala, insistebant Consiliarii domini Regis, qui creberrime veniebant ad nos cum minis et adulationibus, ut a proposito deflecterent nos; qui frequenter nobiscum tam diu in Capitulo manserunt, quod nec Vesperas nec Matutinas in ecclesia cantando[1] persolvere poteramus propter tardum eorum digressum, per quæ maximum tædium intulerunt Conventui : præter quotidianum ejulatum et fletum parentum et amicorum aliorumque supervenientium, qui moliebantur suis sophisticis argumentis et persuasionibus separare nos a charitate Christi. Tunc tempus probationis et experientiæ aderat, ad quid quemque sua traheret voluptas, ad Deum an ad diabolum. Libertas carnalis (quæ est vera dæmonum et vitiorum ser-

Constantia mirabilis.

vitus) concedebatur omnibus exire volentibus : sed gratias Deo, tanta erat ibi sanctitas vitæ, constantia in animo, modestia in verbis, hilaritas vultus, alacritas in operibus, et tale moderamen in omnibus, quod conturbati sunt omnes qui videbant eos ; quanquam Priore orbati erant externo et pupilli facti absque patre, unicuique tamen sua conscientia Prior erat, interne dirigens ac instruens eos in omnibus. Super quæ attonitus ille Vicarius Regis, nolens vinci a bono, quatuor ex Nostris* quadam die Dominica jussit rapi extra Conventum dum essent in celebratione summæ Missæ, et deduci ad ecclesiam Cathedralem ubi concursus totius civitatis frequentabatur, ubi etiam omnes Nobiles et Primates totius regni eodem die aderant, propter sermonem declamandum per quemdam Reverendum Patrem et Episcopum. Quo cum Nostri adducti fuissent, in loco celebri statuebantur, adhibita etiam diligenti custodia Vicecomitum civitatis; sermoneque finito, remissi erant domum. Non pertinet ad rem scribere quæ audierunt, sed hoc tantum quod non profuit illis sermo auditus, non admixtus fidei, ex his quæ dicta erant a pastore ad ipsos.

Thren. v, 3.

*** Quorum unus ipsemet Chauncy noster erat.**

CAPUT DUODECIMUM

De constantium Fratrum separatione; de decem Fratrum incarceratione et morte, deque remanentium Fratrum deceptione ut jurarent in verba Regis.

CONSIDERANTES itaque domini Regis Consiliarii cassam fore omnem suam industriam et laborem, et quod nullo modo pervertere eos possent; iniqua pietate commoti, separaverunt eos ab invicem, emittentes tres ex prædictis quatuor, adjuncto et alio (qui fuisset quartus prima die, si non sacerdos hebdomadarius eadem die exstitisset), in duas alias Domus nostri Ordinis, in extremis regni partibus[1], quarto die Maii, anno Domini 1536, eodem scilicet die quo et sanctus Pater noster passus est, anno evoluto. In hoc autem mense, et mense Junii, per continuos quatuor annos[2], maxime efferbuit impetus tribulationis nostræ, quamvis et aliis temporibus non delectabamur magnopere in multitudine pacis. Anno enim Domini 1534 prima incarceratio Patris nostri accidit, in mense Maii. Eodem mense,

Quatuor in exsilium pulsi.

Ps. xxxvi, 11.

MARTYRIUM BEATORUM JOANNIS ROCHESTER ET JACOBI WALWORTH.

Graphis picturæ quæ nunc, in claustro olim Cartusianorum,

Granatæ reperitur.



anno sequenti, passio ejus fuit facta, et incarceratio sancti Patris Vicarii cum sociis suis. Tertio anno hæc prætacta dispersio Fratrum, quæ facta fuit non sine lamentabili prævia molestia et perturbatione totius Conventus. In quarto quoque anno, mense Junii, alia incarceratio decem insimul Fratrum, ut infra patebit [1] : in quo etiam mense, anno secundo, passus est sanctus Pater Vicarius cum suis sociis. Et quemadmodum legitur omnes persecutiones Sancti Thomæ Cantuariensis episcopi feriis tertiis accidisse, ita et incarceratio et interemptio sancti Patris nostri. Passiones insuper Reverendi Patris sancti Joannis episcopi Roffensis, et beati domini Thomæ Mori, exsecutæ fuerunt feriis tertiis : Pater noster cum suis, ut patet; Episcopus Roffensis X Calendas Julii, anno Domini 1535; et dominus Thomas Morus sexto die Julii eodem anno, perempti sunt. Sed ad rem revertamur. **Notabilis temporum collatio.**

Nostris quatuor [2] ita ejectis et dispersis, cogitaverunt Consiliarii cogitationem pessimam, ut inferrent manum super eos qui deserti fuerunt, quasi fuissent absque muro, vectibus et portis. Et venerunt cum inhiante ore rapere et dispergere gregem, sed benedictus Deus qui non dedit eos in captionem dentibus eorum : manserunt immobiles, firmati supra petram. *Ps.* CXXIII, 6. Tunc miserunt octo illorum ad quamdam domum Ordinis Sanctæ Brigittæ vocatam Sion [3], distantem a civitate septem milliaribus, ut ab inhabitantibus in ea persuaderentur consentire Regi. Erant enim ibi multi viri famosi et religiosi certe [4], et isti frenaverunt ac

restrinxerunt audaciam et constantiam juvenum nostrorum, hac solummodo occasione. Supremus namque Confessor ac Rector illius Conventus, in extremo mortis articulo constitutus erat, tempore eodem quo Fratres nostri inibi exstiterunt; qui convocans eos ad se, ait : « Obsecro vos, benignissimi Fratres, ut mihi ignoscatis; ego enim sum reus et causa mortis Reverendi Patris vestri, ego animavi eum ad cœptum propositum mortis subeundæ, pro causa qua et ipse passus fuit, et vos huc adducti estis. Modo tamen aliud inii consilium, et convenientem non fore causam illam mortis subeundæ perspicio. » Quibus auditis, aliqui ex Nostris, quasi seni ac judici populi et in extremis jacenti, crediderunt ei. Sed Domum reversis renitebatur conscientia, renueruntque tunc obedire voci incantantis. Quod domini Regis Consiliarii videntes, quasi sagittis parvulorum plagati, versi sunt in furiam et Domus eversionem comminati sunt, nisi consentirent. Noluerunt per hos tres annos mittere in eos manus mortis, quamdiu ita omnes adunati fuerunt. Triplex funiculus non facile rumpitur. Hoc quoque prædictum erat nobis a viro eximiæ sanctitatis in Domo nostra, qui moriebatur diu ante hoc tempus, cui tum omnipotens Deus ea quæ pateremur in veritate revelaverat. Qui dicere nobis consuevit : « Nolite terreri, Fratres, sitis unanimes in Domo et in Domino ; nunquam dominabuntur vobis inimici vestri donec dissentieritis ab invicem. » Horum verborum veritatem jam evidentissime experti fuimus.

Hic diabolus per hunc virum locutus est, sicut olim per serpentem Evam seduxit.

Ps. LXVII, 6.

Eccl. IV, 12.

Nunc enim cecidit corona capitis nostri. Divisa quippe est maceria : una pars sequebatur Jeroboam qui peccare fecerat Israel, et altera adhæsit domui David, memorans justitiæ Dei solius quam didicit a juventute sua. Una pars Conventus, videntes angustiam rei, periculum subversionis Domus imminens, et quod nihil profecerint in resistendo, sed totus mundus post Regem abiit, tædio affecti, commiserunt se in periculo misericordiæ divinæ, licet non absque gravi conscientiarum suarum læsione, et cum multis lacrymis consentientes regiæ voluntati : idque ob hoc solummodo, ne deleretur una tribus ex Israel. Acceperunt sacramentum juramenti, dicentes in cordibus suis Domino dum proponebatur : « Tu scis, Domine, quam falsum et iniquum sit quod isti extorquent a nobis; Tu scis etiam, quot *exceptiones, alleviationes ac epikeias* allegavimus, et illi nobis consenserunt;* Tu insuper vides angustiam temporis, et quod minantur eversionem Domus si non consenserimus. Sed pellem pro pelle, et cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua; non sunt facienda mala ut eveniant bona. Cum corda omnium nosti et quam libenter reniteremur eis, obsecramus clementiam tuam ut modum istum, quem exsequimur forinsecus in positione manuum nostrarum super librum sancti Evangelii et eum osculando, non respicias, neque accipias quasi affirmantes simus sive consentientes regiæ voluntati; sed tantummodo suscipias in venerationem sacrorum verborum in Evangelio descriptorum, hanc *externam nostram simulationem,* ob præser-

III. Reg. XII, 20-30.

Pars Conventus, simulate tantum, voluntati regiæ invita consentit.

Judic. XXI, 17.

* Epikeia, i. e. *benigna interpretatio quod in tali casu legislator non intendit obligare.*

Job II, 4.

Rom. III, 8.

vationem Domus, si tuæ bonitati placuerit. » Hæc est qualiscumque, licet frivola, excusatio quam pro titubantibus allegare possum. Et certissime scio quod revera ita acta sit, sed non in hoc justificati sumus [1]. Nolo recitare

IV.Reg. v, 17-19. historiam Naaman, nec aliud inserere de libro Baruch, ad hanc *simulationem* nos inducens, ne declinem cor meum ad excusandas excusationes in peccatis, sciens quod scri-

Matth. v, 20. ptum sit : Nisi justitia vestra præcelluerit justitiam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

Altera pars Conventus, ne exterius quidem, vult obedire Regi.

Et hoc in veritate comperientes residui de Conventu, noluerunt facere præservationem lapideæ domus pretiosiorem quam se, sed præponentes statim materiali domui salutem animæ suæ, cuncta quæ habuerunt libenter dederunt pro anima sua, et nullam suscipere voluerunt redemptionem per aliquam *simulationem,* sed constanter contra-

Hebr. xi, 35. dixerunt Regi ut meliorem invenirent resurrectionem, et

II. Cor. v. 1. domum non manufactam haberent in cœlis. Numerus istius residuæ partis fuit denarius : tres sacerdotes, quorum unus vocabatur Ricardus Bere, alter Thomas Johnson, et tertius Thomas Green; unus diaconus, vocatus Joannes Davy; et sex Conversi, qui fuerunt, Guillelmus Greenwood, Thomas Scryven, Robertus Salt, Gualterius Pierson, Thomas Redyng et Guillelmus Horn [2] ; omnes professi ejusdem nostræ Domus Londoniensis. Et hi omnes retrusi erant quarto Calendas Junii, anno Domini 1537, in carcere fœtidissimo, in civitate vocata Newgate, ubi omnes in bre-

vi, uno excepto, propter squalorem et fœtorem carceris moriebantur. Quod audiens ille prænominatus Regis Vicarius, admodum ægre tulit, duriusque vexaturum se eos, si vixissent, cum magno juramento affirmabat. Ille autem Frater Conversus superstes in carcere, nomine Guillelmus Horn, per quadriennium ibi mansit incolumis; tandem eductus, quarto scilicet die Novembris anno Domini 1541 [1], morte, quam et reverendus Pater noster passus est, et ipse finivit vitam suam, eviscerratus et in omnibus dilaceratus membris: sicque patrem secuta est sua proles, inter omnes diutissime et durissime vexatus, et necatus pro amore Jesu et pro fide sponsæ suæ Ecclesiæ Catholicæ, potius quam falsum dicere aut jurare voluisset.

Martyrium B. Guillelmi Horn.

CAPUT DECIMUM TERTIUM

De duorum residuorum Fratrum suspensione, et finali Conventus et Domus desolatione.

PRÆTEREA dum hæc ita circa nos agerentur, facta est commotio magna in regno, et insurrectio vulgi [1] adversum Regem. Qua sedata, quidam Nobilis, vicinus illi Domui ubi duo prædictorum quatuor dispersorum Fratrum hospitabantur, adiit præfatum Regis Vicarium, suggerens ei illos duos monachos Cartusianos Domus Londoniensis, quos miserat in aliam Domum ejusdem Ordinis prope villam de Hull, adhuc rebellasse nolentes obedire Regis imperio. Quod ille audiens, dedit ei potestatem tractandi eos secundum legis rigorem. Qui desiderata et præoptata jussa completurus, adduxit eos foras in civitatem Eboracensem, ubi coram duce Norfolciæ, in tempore (scilicet quinto Idus Maii, anno

Luc. XII, 42. Domini 1537) tritici reddiderunt mensuram. Suspensi erant

Alii duo Cartusiani suspensi. in catenis [2], donec omnia ossa eorum ab invicem deciderent. Horum nomina fuerunt, Joannes Rochester et Jaco-

bus Walworth [1], ambo monachi sacerdotes et professi ex Domo nostra Londoniarum. Alii duo [2] cum eisdem expulsi in aliam partem regni, post integrum annum et dimidium, per Visitatores Ordinis limitatos et constitutos ab ipso Regis Vicario, missi fuerunt [3] ad prædictam Domum Ordinis Divæ Brigittæ [4]; ubi aliqua disceptatione cum eisdem habita, incidebant tandem in illam *simulationem* (quibusdam *epikeiis* adhibitis) in quam et ceteri, consentientes regiæ voluntati; spei quidem frustratæ innixi vanisque persuasionibus et promissionibus illecti, abstracti, et seducti. Promittebatur enim indelebilis inconcussaque stabilitas et præservatio Domus, nobis consentientibus [5] regiæ voluntati. At nullam citius deleverunt.

Infra annum enim, postquam nos consenseramus, irritum illi fecerunt suum pactum. Omnes namque nos expulerunt a Domo duxeruntque in Babylonem [6]; numero quidem duodecim professos Monachos, tres Hospites, et sex Conversos professos; anno Domini 1538 [7], die decima quinta Novembris: die, inquam, amara valde, qua hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostra ad extraneos, factaque domus struthionum, lupanar, prostibulum, diversorium scortantium, et frequentatus locus palæstrarum et lusorum. In ecclesia autem regia tentoria et arma bellica reponebantur; imagines non solum Sanctorum, sed etiam sancti Crucifixi cultellis conciderunt et pedibus conculcaverunt; super altaria sancta saltantes, choreis luserunt et aleis, ac alia plura detestabilia et nefanda in illo loco sacro,

Profana fit Domus cartusiæ.

potius deflenda quam recitanda, commiserunt. Anno tamen penultimo transacto, mundata est domus nostra ab his

Laico traditur.

spurcitiis et data cuidam militi, nomine Eduardo North [1], qui inibi jam sibi construxit palatium, de ecclesia triclinium suum fecit, et propemodum totum claustrum evertit.

Hæc est summa legationis meæ, Reverende Pater, et ille est somnus quem dedit Dominus dilectis suis, filiis vestris, quoniam fructus est justo. Itaque judicavit eos Deus in terra ut fructum plus afferrent in patientia et majorem gloriam acquirerent in hæreditate Domini, quam a Deo datam esse his sanctis suis qui fidem suam nunquam mutaverunt ab Eo (quibus cooperantur omnia in bonum diligentibus se), non ambigimus.


nonam, perveniensque ad dictum locum voluit se statim immittere et non potuit ; perambulansque super ripam fluminis huc atque illuc usque ad horam undecimam, sæpe tentavit suum iniquum conceptum perficere, sed semper præpediebatur. Cumque conveniente ad Matutinas Conventu ipse tardaret venire, egressus est infirmarius accersitum eum, eoque non invento in cella, significavit Priori * qui cum aliis veniens in cellam absentis, viderunt scalam innixam muro horti cellæ suæ, per quam suspicati sunt illum fugam fecisse; hanc tamen nutu Dei unus illorum scandens, introspexit in hortum conventualem. Et ecce vidit statim circa piscinam lumen magnum, quod cum Patri suo Priori aliisque adstantibus indicaret, cucurrerunt illuc omnes cum festinatione. Quo ingressi viderunt Fratrem ambulantem in una parte piscinæ, sæpe conantem se mergere et semper repulsum, lumenque magnum (non omnes sed duo tantum eorum) viderunt in altera parte, in qua affirmabant pro certo videre se etiam Patres nostros omnes qui passi fuerant, intromittentes se inter Fratrem et aquam, quotiescumque attentavit se immergere vel immittere. Cum vero isti approximarent ripæ piscinæ, disparuit lumen, comprehensumque Fratrem, toto corpore trementem vixque loqui valentem, duxerunt in cellam suam, ubi pyra accensa et spiritu ejus refocillato, interrogaverunt eum quidnam facere intendebat. Respondit ille se perrexisse illuc ut se immergeret et citius liberaretur ex hac mortali vita, sciens damnatum se esse : « sed non potui, ait, deten-

* V. P. D. Joannes Bochard.

migravit ex hac vita. » Interrogatusque quomodo secum esset et cum Patribus nostris : « Bene, ait, mecum est. In cœlesti gloria sum, fruens Dei visione gloriosa, gratias ago Deo meo; sed in multo minori et inferiori gloria sum constitutus quam Patres nostri qui passi sunt : illi enim sunt in magna gloria, pro martyrii palma coronati ; et Pater noster Prior hujus Domus habet unam coronam præ ceteris splendidiorem. » Hoc dicto disparuit.

Hæc visio postmodum relata fuit Consiliariis domini Regis, qui accersito Fratre cui ostensa fuit, post multas inquisitiones et exprobrationes comminati sunt ei ne cuiquam eam intimaret[1]. Vestræ tamen Paternitati illam retuli, quo certiorem eam facerem de gloria retributionis eorum in hæreditate Domini, tametsi illa per legem magis et testimonia innotescere queat, cum passi sint pro veritate
Matth. v, 10. et justitia cui ex debito promissionis divinæ debetur regnum cœlorum : de qua justitia dissonum est me loqui, cum sim injustus et eam dereliqui. Et certe si erubescere possem, et mihi non esset cor pravum et malignum, imo diabolicum, mihi præ dolore et confusione magis liberet plorare quam scribere, consideranti ubi sum et ubi non sum, quæ habeo et quæ amisi, quo tendo et unde excludor. Sed condoleat obsecro, sanctitas vestra, miseriæ meæ, et subveniat mihi apud Altissimum suis sanctis orationibus, ne Dominus eru-
Luc. IX, 26. bescat me cum venerit in majestate sua coram Deo et angelis suis, quem ego multipliciter erubui et enormiter

EPILOGUS



ÆC habui, quæ in præsentiarum de sanctis illis Martyribus commemorarem, summa tantum rerum secutus fastigia. Nam singula ad longum referre, quæ ipse quidem non ex aliis accepi sed præsens comperi quorumque omnium pars ego magna fui, nimis et mihi et lectori fuerit tædiosum, cui rei gestæ historiam simpliciter ob oculos ponere, non longis ambagibus vel exquisitis commentariis onerare, visum nobis fuit. Illud tamen velut auctarii vice adjiciendum putavi, quod nemo eorum qui nobis perniciem exitiumque machinati fuerant, diu supervixerit diuturnamque voluptatem ex suis istis facinoribus perceperit : cum non multo post, omnes vel violenta eaque ignominiosa morte perierint, vel alioqui ad summam egestatem pervenerint, inque extremas vitæ humanæ calamitates inciderint. Nam ipse Thomas Cromwell, Vicarius Regis, infra biennium a nostræ profligationis tempore, propter crimen læsæ majestatis capite mulctatus est. Custodes vero Domus nostræ [1] ad inopiam et mendicitatem relabentes, misere vitam suam finiere. Item mulier quædam ex contemptu et pertinacia ecclesiam nostram ingressa, nobis sacrum facien-

Dei vindicta in hos qui mortem BB. Martyrum sunt moliti.

Ipse Cromwell capite luit pœnam.

PRECATIO

O pie cunctorum pater et miserator Jesu,
Largifluusque omnis fons et origo boni;
Qui clypeo fidei confirmas corda tuorum
Ut sanctum celebrent nomen ubique tuum,
Despiciantque undas, ferrumque, ignesque, crucesque,
Verbera carnificum, vulnera, probra, neces;
Dummodo persistant pretioso in amore perennes,
Quo mens ardescit tota sacrata Tibi.
Nos quoque magnanimos præ te contemnere mundi
Omnia, perficias seu bona sive mala.
Ut cum MARTYRIBUS quondam feliciter istis,
Contingant nobis gloria, vita, decus.

FINIS.

Moguntiæ apud S. Victorem excudebat
Franciscus Behem. Anno M.D.L.

APPENDIX

laris Thomas More, Angliæ Cancellarius, quem idem Pontifex meritis extollit laudibus, utpote *doctrina litterarum sacrarum excellentem, et veritatem adserere ausum*. Idcirco præclarissimi quique rerum ecclesiasticorum scriptores unanimi censent calculo eos omnes pro tuenda, restituenda, et conservanda Catholica Fide sanguinem fudisse. Quin etiam Gregorius XIII plura in eorum honorem indulsit, quæ ad publicum ecclesiasticumque cultum pertinent: atque illud præcipuum, ut potestatem fecerit horum lipsana in consecrandis altaribus adhibendi, quando illa veterum Sanctorum Martyrum non suppeterent. Præterea postquam in Templo S. Stephani ad Cœlium montem Christi Martyrum Passiones per Nicolaum Circinianum udo tectorio pingi fecisset; permisit etiam ut in Templo Sanctissimæ Trinitatis Anglorum de Urbe, ab eodem auctore, eademque ratione Anglicanæ Ecclesiæ Martyres antiqui recentiorisque ævi pariter exhiberentur, quos inter illi etiam qui ab anno 1535 ad 1583 sub Henrico rege et Elisabetha pro Catholica Fide ac Romani Pontificis Primatu mortem obierant. Quæ martyriorum repræsentationes eo in Templo depictæ, videntibus ac probantibus Romanis Pontificibus Gregorii successoribus, ad duo sæcula permanserunt donec nefariorum hominum injuria sub finem elapsi sæculi perierunt. Mansere tamen illarum ectypa, quæ anno 1584 Romæ cum privilegio ejusdem Gregorii XIII ære cusa fuerant, hoc apposito titulo : *Sanctorum Martyrum, qui pro Christo, Catholicæque Fidei veritate adserenda antiquo recentiorique persecutionum tempore mortem in Anglia subierunt, Passiones*. Ex quo monumento, sive ob subjectum eloquium, sive ob alia indubia indicia plures ejusmodi Martyres suo nomine comperti sunt, nempe quinquaginta quatuor. Sunt autem :

Passi sub Henrico Rege : Joannes Fisher, Episcopus Roffensis, S. R. E. Cardinalis — Thomas More, Angliæ Cancellarius — Margarita Pole, Comitissa Salisburiensis, Cardinalis Poli mater — Ricardus Reynolds, Ordinis S. Brigittæ — Joannes Haile, sacerdos — Octodecim Cartusiani, nimirum : *Joannes Houghton* —

sunt. Quapropter postremis hisce annis novæ preces per Emum ac Rvmum Dnum Cardinalem Henricum Manning, hodiernum Archiepiscopum Westmonasteriensem, et alios Angliæ Episcopos ad Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem XIII Pontificem Maximum delatæ sunt, una cum ordinario processu in Anglia confecto, aliisque authenticis documentis, in quibus tum probationes Martyrii pro iis qui ab anno 1535 et 1583 passi sunt, tum etiam prædicta indulta Romanorum Pontificum pro prioribus illis nuper memoratis continentur.

Placuit Sanctissimo Domino Nostro totius negotii cognitionem Peculiari Cœtui aliquot S. R. E. Cardinalium, et officialium Sacrorum Rituum Congregationis committere; prævia exegesi per R. P. D. Augustinum Caprara S. Fidei Promotorem conficienda. Qua in Particulari Congregatione die 4 Decembris labentis anni ad Vaticanum coadunata, infrascriptus Cardinalis Dominicus Bartolini eidem Sacræ Congregationi Præfectus, et Causæ Relator, sequens proposuit Dubium : « *An, propter peculiaria Romanorum Pontificum indulta, relate ad antiquiores Angliæ Martyres, qui ab anno 1535 ad 1583 pro fide catholica, et pro Romani Pontificis in Ecclesia Primatu mortem obierunt, et quorum Passiones, auctoritate Gregorii XIII Pont. Max., in Templo SSmæ Trinitatis Anglorum de Urbe olim depictæ, et Romæ anno 1584, cum privilegio ejusdem Pontificis, ære cusæ sunt, constet de indulto publico ecclesiastico cultu, sive de casu excepto a Decretis sa. me. Urbani Papæ VIII, in casu et ad effectum de quo agitur?* Eminentissimi porro ac Revmi Patres et Prælati Officiales, audito scripto et voce præfato S. Fidei Promotore, reque mature discussa quoad recensitos quinquaginta quatuor Martyres, respondendum censuerunt : *Affirmative, seu constare de casu excepto.* »

Super quibus omnibus facta Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papæ XIII per me subscriptum Secretarium fideli relatione, idem Sanctissimus Dominus Noster sententiam Sacræ Congregationis Particularis approbare dignatus est. Die 9 Decembris 1886.

Præsens autem Decretum expeditum fuit hac die 29 Decembris, sacra Thomæ Episcopo Cantuariensi Martyri, cujus fidem et constantiam hi Beati Martyres tam strenue imitati sunt.

D. Card. Bartolinus, *S. R. C. Præfectus.*
Laurentius Salvati, *S. R. C. Secretarius.*

B

ORDINATIO

Capituli Generalis sacri Ordinis Cartusiensis in Domo Majoris Cartusiæ celebrati, anno Domini 1887, die vero mensis Maii IX *et sequentibus.*

Summo cum gaudio Decretum Pontificium sub die 29 Decembris 1886 accepimus quo jam indultus octodecim Cartusianis, simul et aliis Martyribus, pro catholica fide Roma Pontificis primatu in Anglia interemptis, solemniter confirma est cultus. Ecce nunc apparet in gloria quasi perfecta Ordinis nostri Domus, quæ, sicut sponsa ornata monilibus suis, asc cœlum et de vivis ac expolitis lapidibus fundata est in n sanctis. Adest Prior : vir mirabilis in vita, in morte i B. Joannes; cui assistunt duo alii Priores, B. Augu Robertus : passionum ipsius participes, participes et cor e sunt. Adest Vicarius : B. Humphredus, qui, mortuo Priore, vic ejus agens, simili supplicio occubuit, simili triumpho ex est. Adest Procurator : B. Guillelmus, qui quasi ıla ı ad mortem. Adsunt claustrales : sacerdotes sc t se on unus, qui de cellis educti, ad carcerem, ad inte mei n siones invenerunt in cœlo. Adsunt et Conversi : nempe s

in simplicitate sua, mori maluerunt quam mentiri. Sic qui militant in domibus terrenis, sancti P. N. Brunonis filii, cujuscumque sint conditionis et gradus, omnes habent quorum intercessione adjuventur patronos, omnes habent quibus provocentur exempla. Itaque singulari accensi fiducia et spiritus fervore, festum BB. Joannis, Augustini, Roberti et sociorum quotannis celebrabimus, quod, juxta recens S. Rituum Congregationis Decretum, die 4 Maii fieri volumus, sub ritu solemni.

C

ORATIO

In solemnitate BB. Martyrum Cartusianorum dicenda (e Breviario Cartusiensis Ordinis desumpta).

OREMUS

Omnipotens æterne Deus, qui in beatis servis tuis Joanne, Augustino, Roberto eorumque sociis, ob invictam fidei ac supremi Pontificatus jurium confessionem, apud Angliæ gentes primitias Martyrum Cartusianorum gloriose consecrasti, concede, quæsumus, ut ipsorum meritis et intercessione, in Apostolicæ unitatis Petra solidati et ab ingruentibus malis et periculis expediti, secura tibi mente famulemur : Per Dominum.

Pag. 41.

1 « Sacrista, qui valde religiosus, maturus et gravis esse debet, de manu Prioris clavem accipit, et cum clave custodiam omnium quæ sunt in ecclesia. » Ex 1ª parte Statutorum nostrorum, cap. XXIII, § 1.

Pag. 42.

1 Vetus fama viget in Ordine nostro hunc esse F. Taylor, de quo mentio est bis in decursu hujus Historiæ : p. 81 *circa finem*, et p. 125.

2 *Sacrarium*, apud nos, non est sanctuarium ecclesiæ, verum sacellum adjacens, ut videre est p. 83 et not. 2.

Pag. 44.

1 Erat tunc annorum fere 40.

2 « Sic enim eum volumus appellari, qui... exemplo Marthæ, cujus suscepit officium, circa multa sollicitari ac turbari habet. » Ex IIª parte Statutorum nostrorum, cap. VI, § 1.

Pag. 45.

1 Non sunt apud nos abbates, ne in Majori quidem Cartusia, cujus Reverendus Pater *humilem* se dicit *Cartusiæ Priorem*.

2 Is Ven. Pater electus est anno 1529, postquam senex Tynbygh in Capitulo Generali ejusdem anni solutus est officio. (Ex chart. Cap. Gen.) Fuit doctus ac pius scriptor, ut apud Petreium nostrum videre est, p. 157. Confer Morotium, p. 120. Obiit 16ª die Novembris an. 1531. Tromby, t. X, p. 72.

3 « Describantur ad visitandas Provincias totius Ordinis, qui zelo Dei et Ordinis nostri, integritate vitæ, doctrina, judicio, experientia et discretione ceteris præstare videantur. » Ex IIª parte Stat. nost. cap. XXIII, § 2. « Porro singulæ Domus Ordinis visitentur singulis bienniis. » Ibid., § 4.

Pag. 46.

1 Meminisse oportet, quod jam diximus et probavimus (p. XXIV *in fine* et not. 1, et p. XXIII), D. Mauritium, tunc temporis, 26um annum non superasse.

Pag. 60.

1 Hic non abstinentia a carne significatur, utpote quæ perpetua est, nec admittit exceptionem; verum *abstinentia* proprie dicitur, in Ordine nostro, jejunium cum pane et aqua.

Pag. 61.

1 Confer p. 48 *in fine* et 49 *in fine*.

Pag. 62.

1 Ex his patet D. Joannem Houghton plures saltem menses in Prioratu jam transegisse, quum Mauritius Chauncy in Cartusiam advenit. Dom. autem Joann. Houghton Prior electus est circa finem Novembris anni 1531.

Pag. 64.

1 Vide p. 48, § *ultimo,* et cap. VIII: de Fratribus reprobis.

Pag. 65.

1 In 1ª editione, parenthesis « incompletus numerus restat, etc. » hic prave posita est, ubi continuationem sermonis præpedit. Unde conjicere licet eam additamentum esse ab Auctore in margine Codicis scriptum, a typographo autem non suo loco impressum. Confer, de additis, p. XXVI *in fine*, et XXVII.

Pag. 68.

1 In Octavis scilicet Natalis Domini, Paschæ et Pentecostes.
2 Fuit Prior Domus Witham, postea Episcopus; obiit anno 1200.

Pag. 69.

1 Hoc vero notandum est: « Cantatis Nocturnis, breve facimus intervallum, in quo, qui voluerit, remanere potest in choro, stans vel

sedens. » Tromby, t. X, Append. I, p. CXXVIII: Tractatus Statutorum Ordinis nostri Cartusiani pro Novitiis, auctore (ut creditur) V. P. Batmanson, B. Joannis Houghton prædecessore. — Quem etiam reperias in Cod. Ms. *Cotton* (Nero), A. 3, fol. 139, British Museum; et apud Dugdale, *Monasticon Anglicanum,* ed. Ellis, t. VI, p. v et s.

2 Festum Candelarum est *Festum solemne:* « in eo quatuor candelæ seu cerei accenduntur ad utrasque Vesperas, Matutinas et Laudes, unde.... Festum *Candelarum* vocatur. » Ex 1ª parte Statut. nostr. cap. 1, § 2.

Pag. 76.

1 Mendose in 1ª editione, 1529. Anno quidem 1529 Officio solutus est; verum an. 1531 obiit, 27ª martii die (ex Ephemerid. Ordinis nostri) ejusque obitus Capitulo Generali ejusdem anni denuntiatus est.

Pag. 83.

1. Prave in 1ª editione Rawhus.

2 Ut plurimum, apud nos, Sacrarium non est Vestiarium, sed sacellum Altari Majori vicinius. Huc sacerdos iste perterritus se conjecit ut, præter morem, vestimenta sacra exueret.

3 Legitur in 1ª editione: J. Dailei. Verum quia nullum reperimus hoc nomine monachum in chartis publicis ubi Conventus percensetur, idem nobis videtur esse ac J. Darley de quo agetur p. 123 *in medio,* qui Ordinem sinente Rege deseruit (ex litteris Londinii in *Record Office* servatis.) Quod congruit cum his verbis auctoris nostri: « exierunt a nobis per licentiam... Regis. » p. 84 *in fine.*

Pag. 85.

1 D. Mauritius Londiniensem Domum *Matrem* suam vocat; *frater* autem *matris* ejus Vallis Gratiæ est, ubi exceptus est hospitio.

Pag. 86.

1 Vide pag. XXI et notam 3.

Pag. 91.

1 Vide pag. 104 et notam 2.

trahebatur ad locum patibuli; 2° collo suspendebatur, (funem vero adhuc eo vivente incidebant); 3° vivens exenterabatur, et viscera ejus igni tradebantur; 4° caput amputabant; 5° corpus in quatuor partes concidebatur; 6° corpus et membra in arbitrio Regis erant.

2 Prave in 1ª editione: *Ahyrdle.*

3 In 1ª editione invenitur non Tyburn, sed *bubali*. Certum autem videtur, in originali Codice fuisse Tyburn. Etenim in compendio, ex originali Codice, sive immediate sive mediate, a quodam Belga excerpto, quod Patres Bollandistæ in lucem protulerunt (Analecta Bolland. VI, 1887), non *bubali,* aut *patibuli,* aut aliquid simile, verum *Syburne* legitur (p. 43. lin. 3). Surius autem, qui hunc locum fere ad verbum in suum librum transtulit, τὸ *bubali* repudiavit, et scripsit: *supplicii*. Item Havensius, in editione an. 1608, istud verbum prætermisit (p. 80.) — *Bubali* ergo mendum esse Germani typographi existimamus : bubali, calamo scriptum, non multum differt a Tyburn; idem est numerus litterarum, syllabæ mediæ *ba* et *bu* simillimæ sunt, etc.

Pag. 104.

1 Testis fuit, ut refert Simon Weisser (in Epistola dedicatoria editionis Wirceburgensis an. 1608, p. IV.), Antonius Rescius, ex Ordine Prædicatorum, qui B. Joannem Houghton noverat familiariter, et dum excarnificaretur, adstabat; qui postea S. Theologiæ Doctor (1563) et Suffraganeus Wirceburgensis evasit (1567). Obiit anno 1583.

2 *Vix tres annos et dimidium* Prior fuit; verum Auctor noster pro anno integro numerat finem anni 1531 quo electus est, et iterum pro anno initium anni 1535.

Pag. 105.

1 De quo *supra* p. 22 et s.

Pag. 106.

1 Id est *cilicii,* de quo pagina præcedenti, 9ª lin. ante finem.

2 Vide p. 100, lin. 3 et s.

Pag. 109.

1 Vide p. XXIV, not. 1, et confer p. 112, his verbis « continuos quatuor annos », et not. 2.

hic erravit quia jam non erat in Anglia B. Guillelmi Horn martyrii tempore. Hæc a R. P. Morris habemus, historia Anglorum Martyrum, ut norunt, eruditissimo.

Pag. 118.

1 *Pilgrimage of grace* nuncupata est. (Lingard, ed. Lond. 1854, t. V, p. 41.)

2 Pœnæ mitigationem hoc fuisse dicit Sanderus, *op. cit.* p. 129 : « Cum Joanne Rocestrio et Jacobo Valuero... tam gratiose dispensatum est, ut simplici suspendio in civitate Eboracensi quinto Idus Maii ad cœlum commigrarent. »

Pag. 119.

1 In 1ª editione : *Vuannert*. Vide *supra* notam 2 ad pag. 116.

2 Fox scilicet et Chauncy.

3 Publicis litteris 31ª die Augusti an. 1537 datis (Brit. Mus. Cod. Ms. *Cotton*). A 4ª die mensis Maii anni præcedentis, non sunt nisi 16 menses; Chauncy autem *circiter* annum et dimidium computat.

4 Sion monasterium. Vide p. 113. *in fine,* et not. 3 et 4.

5 Hic seipsum indicat Chauncy, et clarius adhuc tertia post linea : « postquam *nos* consenseramus. » Etenim non de jurejurando Londiniensis Conventus agitur, quod mense Maio datum fuerat. Notandum est præterea eum circa finem Novembris juravisse, ut apparet ex verbis consequentibus : « Infra annum... etc, » et ideo duos menses et dimidium in Domo Sion permansisse et monachis restitisse.

6 Confer eadem fere verba p. 105, lin. 11 et 12.

7 In 1ª editione reperitur 1539. Vide p. XXI, not. 1.

Pag. 120.

1 Data est Domus Londiniensis Eduardo *North,* 36° anno regni Henrici VIII (1544). His autem verbis *anno penultimo transacto* Chauncy manifeste ostendit se hunc locum anno 1548 addidisse.

Pag. 124.

1 Invenitur in Cod. Ms. *Cotton* (Brit. Mus.) narratio rei ab ipso Darley facta et subscripta.


S: commune: domus: matris: dei: ordis: cartus: London:

INDEX

PASSIO OCTODECIM CARTUSIANORUM

OPUS FELICITER COMPLETUM

PRELO

CARTUSIÆ S. MARIÆ DE PRATIS

KAL. MAI. ANNO DOMINI M. DCCC. LXXXVIII



LAUS DEO

ET OMNIBUS MARTYRIBUS EJUS







